

CASPARI

FINCKII,

LOGICES ET PHYSICES

in illustrissima Giessena Pro-
fessoris ordinarii,

① II

DISPUTATIONES AN-

TIGOCLENIANÆ, DE ANA-

logia Sacramentali Cingliana & fra-
ctione panis Calvinistica,

AUCTÆ ET RECOGNITÆ.



GIESSÆ HASSORUM,
Typis Nicolai Hampelii, Scholæ Typogr.

M D C VII.

CASPAR

FINCKM.

LOGICÆ ET RHETORICÆ

in illustri Gymnasio

Wittenbergensi

DISPUTATIONES

THEOLOGICÆ ET PHILOSOPHICÆ

in Collegio

Wittenbergensi

NOTÆ ET RECOGNITIONES




GIESA HASSONI

Typis Nicolai Henselii

M D C VII




TUM GENERIS, TUM VIR-
TUTIS AC SOLIDÆ ERUDITIO-
 nis auctoramento Ornatissimis viris-Juveni-
 bus, Dn. ANTONIO Widderßheim / & Dn.
 ANTONIO Gogrāv/Stadhagensibus conso-
 brinis, in illustri Giessena LL. studiosissimis,
 amicis ac fautoribus suis integerrimis,
 Salutem ac prosperitatem
 precatur.

EN vobis mei erga vos amoris, vestri erga
 me candoris monumentum ac ἀγαμέμνον,
 Juvenes lectissimi & doctissimi, amici candidissi-
 mi. Ecquodnā illud? Disputationes, inquā, Anti-
 Goclenianas de Analogia sacramentali Cingliana
 & fractione panis Calvinistica recognitas, auctas,
 & propter exemplariorum defectū secundū editas.
 Exiguum munusculum! Et fateor, si numulario-
 rum collybis metiri velitis. At pfectō si animum
 spectetis, magnum, & fortassis ἀντιζιον. Silentio
 involvo causas, quas in apricū proferre erat ani-
 mus. Vos serena fronte quæ nomen vestrum pre-
 scripserunt accipite paginas, & si quid boni iis in-
 est, ut omninò cōfido, utimini, frūimini, meq, quod
 facitis, amare non desistite. Dabam Giessa in
 Muséo meo, XXII. die Aprilis, Anno Epochæ
 Christiana, 1607.

VV. HH.

studiosissimus
 Casparus Finckius Giessensis.

): (2 IN

IN PRIMAM DISPUTATIONEM

Clarissimi viri, Dn. M. CASPARI FINCKII,
Professoris Ord. & Collegæ mei
amicissimi.

CARMEN

M. CONRADI BACHMANNI
Milsungensis, historiarum & Poët.
Professoris.

Fluctuat in vasto tenuissima Cymbula Christi,
Volvitur hinc Austris, volvitur inde Notis.
Sunt fracti remi, prora est avulsa mariq;
Dat latus, irrumpunt Imber & unda ratem.
Sapient, heu! vigilis dextra est excussa Magistri,
Cumq; gubernaculo precipitata ruit.
Scilicet est multos Ecclesia pressa per annos,
Auxilioq; hominum sancta carina caret.
Mutantur ritus, quos non mutare necesse est,
Mensq; nequit velo liberiore trahi.
Pelluntur vigiles doctiq; ex urbe Magistri:
O ubi cunctator Christe moraris opem!
Christicoleq; pii turbantur ab ore luporum,
Turbida sunt sancti pectora fida gregis.
Fabula et hæc multos miserè est agitata per annos,
Quâ patet in geminos orbis uterq; sinus.
Cernis ô hæc Princeps patriæ pater optime, cernis,
Ludvice, Hassiaci sancta columna soli:
Atq; hæc Gymnasii fundamenta ponis in urbe,
Surgat ut hinc magni Nomen Honorq; Dei.
Cernis & hæc Fincki, rebus succurrere lapsis
Ergo putas rectè muneris esse tui.

Perge

Perge ita, perge ita; sic decoras Patriāq; Scholāq;

Et dabitur capiti sancta corona tuo.

Te duce Fabricius doctæ sacra munera mentis

Promit, in Aonio munera nota choro.

Tu quoq; Tu Fabrici studiis incumbito sacris,

Talibus in studiis & potes esse Faber.

At vos Cinglicole, doctrinam odisse Lutheri

Pergite, res erit hac non odiosa Deo.

Frāgite, Rumpite, Tundite, Pellite, Cōturbate,

Panem, Aram, Effigies, pectora sancta, gregē.

Ut Deus amplifcet per totum Ecclesian orbem,

Detq; huic Gymnasio munera larga novo.

Christus Beatitudo Mea.

IN SECUNDAM DISPUTATIO-

nem Clarissimi, Doctissimiq; viri, Dn. M.

Caspari Finckii, Professoris Ordinarii,

Collegæ & amici mei dex-

terrimi,

CARMEN

M. CONRADIBACHMANNI,

Milsungensis, Histor. ac Poët.

Profess.

SICigitur, sic sancte Pater, divine Lutheræ

Proderis, infandum! Tua sic Cœlestia scripta,

Disq; trahi pateris, pateris sic disq; sipari!

Heu moros hominum mores! Contrarius ipse

Ipsè sibi, & secum validè pugnantiā scribat?

Tūne hoc credideris, cui mens divina Lutheri

Cognita, tam constans veri, tam provida certi?

):(3

Sci-

Scilicet hec aliquos angit vesania Mopsos,
Quedam hinc, quedam illinc convertere, cordis
LUTHERI.

Nunquam nata quidem, nunquam edita ab ore
LUTHERI.

Vindiciis ô vindiciis armate papyros,
Quotquot sanctiloqui nostis documēta Lutheri,
Stare fide firmâ, & poni fundamine fixo.
Nunquam hic ambiguo suras vincere cothurno.
Est solitus; nunquam hic veluti Panagea Diana
Hoc hodie cras illud amans; hinc calda sed illinc
Frigida sufflavit nunquam: fuit omnibus idem.
Nunquam hic consuevit sellis utcunq; duabus
Herere, aut Polypi mentem simulare biformem,
Non hoc stans illudq; sedens duplicemq; virū se
Prestitit, ô nūquā hec, nūquā hec divine Luthe-
Ausus es, in verbis constans, in mēte serenus. (re
Et dubitamus adhuc aures præbere patientis,
Atq; adhibere fidem dictis scriptisq; Lutheri!

Ultima quos etas Mūdi atq; extrema senectus
Protulit, hos inter nituit fax clara Lutherus.
Numine fatidico caluit mens plena Lutheri.
Omnia sacrarum rerum patuere Luthero.
Miserat è Cœli Deus hunc regione Lutherum.
O salve, eternū salve divine Luthere.
Non fas diversum à sancto sentire Luthero.
Nec pigeat nomen toties iterare Lutheri,
Hostibus invisum nomen venerabile amicis.

Hac igitur sese defendit voce Lutherus
Versibus his usus, his olim vocibus usus,
(Sit mihi fas audita loqui.) quas Albidos unda
Audiit,

Audiit, & nobis misit referente Poëta
Taubmanno: Non hæc, nō hæc sententia nostri
Dogmatis, & nunquā febris quartana tot æst
Tot peperit fumos cerebelli in fornice nobis
Quot vos deliræ conceptu mentis ineptos
Fingitis excessus & monstra evanida glossas.


IN TERTIUM CONFLICTUM
M. Caspari Finckii, contra Analogiam
Sacramentariam.

R*em vanam & nihili quod debellare laboras,*
Actum agis; Ingenio concidit ipsa suo.
Hanc prius exitio dedu, & victricibus armis,
Prostravit Medicis vir Melicisq; potens.
Jam quibus interitus cit in egro corde dolores,
Pro gemitu & fletu dentibus acrè fremunt.
Ah frustra! hoc potius versu signate sepulcrum:
Quæ jacet hic, nunquam vivere digna fuit.

M. Conradus Bachmannus M.


Luthe.





Lutherus in Confessione Majori, pag.
73. & 74. E.L.

Es gehet inen gleich / wie jenem Narren /
der eine Wassermühlen auff einen Berg
bawet / da die Mühle bereyt war / fragt man
ihn wo er Wasser nemen wolt. Da sprach
er / sihe / da habe ich warlich nit angedacht.
Also ist den Schwermern auch so jäch nach
der deutelen vnd gleichnuß / daß sie darfür
nichts bedencken können. Wann man nun
ihnen gern wolte gewonnen geben / vnd sol-
che gleichnuß annemen / vnd begert / daß sie
lehren / worin solche gleichnuß des Brodts
mit dem Leib Christi stehe / müssen sie auch
sagen / sihe / da haben wir doch warlich nie
angedacht / wir meynten / wann wir gleich-
nuß nenneten / so stünde sie da / dann vnser
Geyst hat / von anfang Gott sein wollen /
daß alles sein solte / was er spreche / sihe /
Das heyst sich selbst abgerannt
mit eygnen Worten.



Dispu



DISPUTATIO I.

DE ANALOGIA.

Præs. M. Casparo Finckio, Philos. Profess.
Resp. Thoma Fabritio, Laupacensi.

THESIS PRIMA.

ULCHERRIME simul ac verissimè à veritatis illo alumno *Inl. Scalig.* dictum est: Indagatio subtilitatum tamen non est utilis ad machinas farinarias conficiendas, exiit tamen animum inscitiae rubigine, eumq; acuit ad alia: eo denique splendore afficit, ut præluceat sibi ad nanciscendum primi opificis similitudinem, qui ut omnia plenè ac perfectè est, ac præter & supra omnia: ita eos, qui scientiarum studiosi sunt, suos esse voluit, ipsorumq; intellectum rerum dominum constituit, *exer. 307. sect. 3.*

2. Quotquot verò sunt circumscripti animi quorundam ac serviles, qui in tenebris ignavo marcescere otio, quàm in luce ac pulvere cum labore versari malunt? *Scal. exer. 6. sect. 4.*

A

3. Et

3. Et quot quæso sunt larvata ingenia, sibi ignava, aliis maligna, *Scal. ex. 250. sect. 1.* quæ in superficie atque supinitate, quam vocant simplicitatem, intellectionum contemplationis nostræ finem posuere: itaque curiosos nos vocant & scholasticos, cum hoc quod benè dicunt, sese nescire amant? *Scal. ex. 249. sect. 3.*

4. Verùm cum in tot tantisq; subtilitatum apparitionibus, animus noster non debeat cum crassis atq; plebeiis sordescere, *Sc. ex. 12. f. 2.* adeamus paulisper hortos atq; amœnitatem sapientum, *ex. 307. f. 12.* & breviter ut philosophum decet, *ex. 256. ex. 307. f. 20. 31.* agamus de Analogia, rationes atq; concilia nostra aperiamus, *Sc. l. 13. de caus. ll. c. 193.*

5. Est verò nomen analogiæ æquivocum, *ex Fons. l. 4. Metaph. c. 2. q. 1. f. 6.* ita ut sub definitione aliquam cadere non possit, nisi distinguatur, *Sc. l. 12. de caus. ll. c. 177. Zab. l. 2. post. analyt. cont. 83.* est enim una res omnis definitio, *Sc. l. 3. de caus. ll. c. 66. & libr. 4. cap. 96.* æquivoca verò in re non sunt eadem, *Scal. lib. 4. de caus. ll. cap. 91.* ne dividi possunt in species; eorum enim natura nihil aliud est, quàm significare, *Scal. exer. 301. f. 1.* quare prius usum vocis oportet cognoscere, *Scal. ex. 1. f. 1. ex. 101. sect. 1. ex. 325. sect. 9. ex. 359. f. 9. l.* quippe ex cuius interpretatione facilius rei ratio nota fit, *Scal. ex. 1. f. 1. l. 1. de caus. ll. c. 4.*

6. I. Est Analogia quædam, quæ contingit, quando natura generica, etsi univoca est, perfectius esse habet in una specie quàm in alia, ratione perfectioris differentiæ, cui conjuncta est, *Fons. l. 4. Metaph. c. 2. q. 1. s. 6.* quæ tamen est nimis laxa lex significationis *ex Sc. ex. 307. sect. 5.* nec impedit veram univocationem, *Fons. d. l.*

7. Univocum enim est, quod idem genus dispertit æquè omnibus, ut animal, unde univoca à Græcis prudentissimè vocantur synonyma: cum nomine enim rem communicant, *Sc. l. 4. de caus. ll. c. 91.*

8. Atqui omnis species totam generis naturam continet, *Sc. l. 5. de caus. ll. c. 110.* & generis substantia tota in qualibet specie est, igitur & genericæ differentiæ & accidentia propria, *Fons. l. 4. Metaph. c. 2. q. 3. s. 2. Sc. l. 5. de caus. ll. c. 124. & l. 4. c. 80.*

9. Nec quicquam obstat, quòd genus propter diversas præparaciones, ad diversas specierum suarum formas non servetur idem, sed fiat aliud atq; aliud, *Zab. l. 2. de prop. necess. c. 9.* quippe cum hæc determinatio non inferat diversitatem aliquam essentialem sed accidentalem, *Sc. ex. 17. ex. 61. s. 1. ex. 102. s. 3. Zab. l. 2. de prop. necess. cap. 9. de cal. coel. cap. 3. de facult. anim. cap. 9.*

10. Quod enim advenit enti in actu completo & perfecto est accidentarium, *Scal. ex.*

75. *sect. 4. Zabarel. de mist. c. 3. Perer. l. 7. c. 22.*
 at forma speciei annectitur essentiæ generis
ex Sc. ex. 75. f. 4. unde etiam genus non sumitur
 in definitione differentiæ, nec differentia in
 definitione generis, sunt enim duæ partes es-
 sentiales distinctæ, quarum neutra est de es-
 sentia alterius, utraq; verò est de essentia spe-
 ciei, *Fons. l. 4. Metaph. c. 2. q. 1. f. 4. Zab. lib. 2. de*
prop. necess. c. 4.

II. II. Analogia est eorum, quæ ab uno
 sive ad unum dicuntur, seu ubi est pendentia
 necessaria aliorum ab uno, quatenus talia
 sunt, *Zab. de constit. scient. natur. c. 10. Fons. ca*
 nominat analogia secundum attributionem,
 & nunquam aliter apud Aristotelem nuncu-
 pari, quam nomine eorum, quæ ab uno sive
 ad unum dicuntur, eaq; sola, quæ analogia se-
 cundum proportionem dicuntur analogo-
 rum nomine apud illum vocari notat, *l. 4.*
Metaph. cap. 2. q. 1. f. 6. Per. lib. 2. de Phil. natur.
cap. 2.

12. Ita verò definiunt: Quæ ad unum seu
 ad unam naturam referuntur, illa sunt, quæ
 genus aliquod habent commune, cujus ta-
 men ratio uni eorum competat potissimum,
 aliis verò non pariter, *Taurel. l. 1. q. 4. de scient.*
divis. Confer. Titelm. l. 2. Dial.

13. *Ben. Pererio* analogum, seu id quod di-
 citur ab uno ad unum non significat naturam
 aliquam diversam ab analogatis, sed proximè
 signifi-

significat omnia analogata, unum tamen eorum principaliter, alia verò prout sunt aliquo modo affecta ad illud, & habent ordinem seu proportionem quandam ad ipsum; ex quo fit ut benè declarato principali analogato, facilis sit cognitio & reliquorum analogatorum, & ipsius analogi, quod est commune omnibus, *l. 2. de phil. nat. c. 2.*

14. Itaque analogia & communia, quæ ad unum & ab uno dicuntur, medium quendam locum tenere, seu interjecta esse inter æquivoca & univoca non-nulli asserunt, *Fons. l. 4. Metaph. c. 2. q. 1. s. 3. Gocl. instit. log. l. 1. pag. 229. & probl. Log. part. 2. probl. 14.* sententia quidem vulgaris ac pinguis non autem subtilis iudicii, ut loquitur, *Scal. ex. 10.*

15. Æquivoca enim sunt, quæ vocis æquali hæreditate rem inæqualem representant: *Sc. l. 4. de caus. ll. c. 91.* seu quorum nomen est commune, ratio substantiæ diversa. *Sc. ex. 18. Perer. l. 8. de caus. c. 17. Titelm. l. 2. c. 2.*

16. Atqui ens, quod à nonnullis statuitur genus analogum Dei & creaturæ, substantiæ creatæ & accidentis, prædicatur de Deo & creatura non essentialiter, sed æquivocè, *Fons. l. 4. Metaph. c. 2. q. 1. s. 1.* quia Deus est omnia entia supereminens, & super ipsum Esse, Ens, *Damasc. l. 1. de orthodox. fide, c. 4. Fons. l. 4. Metaph. c. 2. q. 1. s. 7. Sc. ex. 140. s. 1. ex. 365. s. 6.* & neque per se neque reductitiè in prædica-

A ; mento

mento substantiæ collocatur, *Fons. lib. 5. Metaph. c. 8. q. 1. f. 2.*

17. Et quæ ad diversa prædicamenta pertinent, non eadem ratione, sed similitudine rationum inter se conveniunt: *Fons. l. 4. Metaph. c. 2. q. 1. f. 7.* substantiam verò & accidens diversa prædicamenta esse, extra omnem dubitationis aleam positum est.

18. Si ens essentiali prædicatione prædicaretur de Deo & creaturis, substantia & accidente, necessariò aut esset genus aut differentia, *Fons. l. 4. Metaph. c. 2. q. 1. f. 4.* absurdum! solus enim Deus simplex est, imò ens simplicissimum, *Scal. ex. 6. f. 2.* in quo nihil in potentia, sed in actu omnia, imò ipse purus, primus, medius & ultimus actus, *Scal. ex. 61. f. 5. ex. 254. exer. 307. f. 20. l. II. de caus. II. c. 166.* in quo nihil prius aut posterius, *Scal. ex. 65. f. 2. l. 2. de plant. pag. 294.*

19. Una eademq; res in diversis generibus poni posset, ἀφιλόσοφον! quod enim propriè est substantia, non est accidens & vicissim, *Fons. l. 1. Metaph. c. 7. q. 3. f. 3.*

20. Et deniq; si ens haberet rationem aliquo modo unam, aut illa esset respectiva, aut absoluta, at ratio entis non potest esse respectiva, cum sit communis rebus absolutis; nec item absoluta, cum sit communis respectivis, *Fons. l. 4. Metaph. c. 2. q. 1. f. 1.*

21. Analoga secundum attributionem sunt
dupli-

duplicis generis: I. genus est unius ad alterum, quando illud unum & idem, ad quod alia referuntur, significatur eodem nomine, ut nomine sani animal sanum; quod cum accidit, tunc illud dicitur principale significatum, cetera verò ratione illius dicuntur eodẽ vocabulo, *Fons. l. 4. Metaph. c. 2. q. 1. sect. 6.*

22. Comprehenduntur verò nomine unius omnia minus principalia, nomine verò alterius ipsum principale, *Fons. ibid.*

23. II. Genus est duorum ad tertium, quando illud unum & idem, ad quod alia referuntur, non significatur eodem nomine; ut si nomen sani restringatur ad salutaria duntaxat, & nomen medici ad medicinalia, tum illa, ad quæ horum nominum significata referentur, non continebuntur sub iisdem nominibus, *ibid.*

24. Res enim dicuntur salutares ab animali sano, & tamen animal quatenus sanum, non dicitur salutare, eodemq; modo multa dicuntur medicinalia, cum tamen medicus non dicatur medicinalis, *ibid.*

25. Hoc igitur cum accidit, tum illud unũ, ad quod alia referuntur, non solum non dicitur principale significatum, sed ne significatum quidem illius nominis; unde fit, ut omnia significata horum nominum dicantur talia, quia referuntur ad aliquid aliud, *Fons. l. 4. Metaph. c. 2. q. 1. s. 6.*

26. Comprehenduntur verò nomine duorum omnia significata hujusmodi analogorum, nomine autem tertii unum illud, sub eodem nomine minimè comprehensum, ad quod omnia referuntur, *Fons. ibid.*

27. Analoga secundum attributionem non necessariò significant formam, quæ insit in omnibus membris dividendis; sanitas enim, quæ est forma significata nomine sani, in solo animali inest, non in urina aut potione, quæ denominatione extrinseca dicuntur sana, *ibid.*

28. III. Analogia est eorum, quæ sunt unum proportionem, etiam si nulla sit pendentia aliorum ab uno, *Zab. de constit. scient. nat. c. 10.* Scaliger, analogiam definit, quòd sit æqualitas quædam, secundum quam similia ducimus è similibus, *lib. 13. de caus. ll. c. 188.*

29. Exempla hæc sunt: cor in animali unum est analogiâ, non enim in omnibus est cor, sed vel cor, vel quid cordi proportionem respondens, nam in animalibus sanguineis est cor, in aliis verò est quiddam aliud, quod in eis eo munere fungitur, quo in sanguineis cor: sic & radix in plantis unum est analogia cum ore in animalibus, ut enim per os in animalibus transmittitur alimentum in ventriculum, sic per radicem in plantas, *Scal. l. 6. de caus. ll. c. 130. Zab. l. 1. de meth. c. 7. de constit. scient. nat. c. 10. Per. l. 2. c. 8.*


30. Ana-

30. Analogia, cùm sit similitudo rationum, non potest esse inter duo, sed est inter quatuor, quia ratio est inter duo, quare dum duas rationes inter se comparamus, & similes esse dicimus, quatuor terminos consideramus vel tres, si unus bis sumatur & teneat locum duorum, *Zab. l. 1. de mat. c. 4.*

31. Analoga secundum proportionem necessariò significant formam, quæ insit in omnibus membris dividendis, non modò propriè dictis, verùm etiam impropriè & per tropum; ridere enim significat risum non modò inhærentem homini, sed etiam suo modo florenti prato, namq; ipsa florum productio est quædam quasi hilaritatis significatio per vultum, *Fons. l. 4. Metaph. c. 2. q. 1. s. 6.*


32. Est verò analogia non semper inter æqualia, sed interdum per proportionem ad nobilius aut notius referimus, *Fons. l. 4. Metaph. c. 2. q. 1. s. 7. Scal. ex. 158.* non enim necesse est, ut ea, quæ unum sunt analogiâ, essentiâ ac definitione conveniant: similitudo enim non affert idètitatem, *Scal. ex. 307. s. 8. § 16.* Et quicquid alicui simile dicitur, est etiam dissimile & aliqua in parte discrepans, si enim in nullo differret, idem potius vocaretur quàm simile, *Zab. l. 2. de N. L. c. 18. vide Keck. System.*

Log. l. 1. pag. 269.



A 5

Sequi-


 SEQUITUR REFUTATIO FL
*Etæ Analogiæ Sacramentalis Cingliana, & Cal-
 vinsticæ non-omissionis Fractionis panis
 in Cœna Domini.*

I.

S Citè *Jul. Scalig.* Nihil, inquit, occultius est
 veritate, quare omni ope atq; consilio ni-
 tendum est, ut ne plus illa operæ latendo exi-
 gere, quàm nos investigando ponere videa-
 mur, *l. 13. de caus. ll. c. 190.*

2. Cùm autem contrariorum redargutio-
 ne contrariæ rationes demonstrantur: *Arist.*
l. 1. Ethic. Eud. cap. 3. lib. 7. Ethic. Nic. cap. 2. & l.
2. Metaph. cap. 11. & lib. 1. de cœlo, cap. 10. t. 101.
 operæ pretium visum est, si confutaretur ficta
 analogia sacramentalis Cingliana & Calvini-
 stica panis fractio, quam non ita pridem in
 Academia Marpurgensi proposuit quidam
 Brantius, ni fallor, scilicet ut sacrilegos Sacra-
 mentariorum errores in crustaret, fictaq; ve-
 ritatis cerussa & pietatis purpurisso pinge-
 ret atq; exornaret.

3. Non solùm enim amicorum opiniones
 verum etiam proprias sententias delere, veri
 interest philosophi, ad veritatis præsidium
 atq; conservationem, *Scal. ex. 6. f. 4.* Qui enim
 veritatem occultat, & qui mendacium pro-
 dit, uterq; reus est: ille, quia prodesse nō vult,
 iste,

iste, quia nocere desiderat, *Aug. de agen. Christianis*, proditor est veritatis, qui aut non libere pronunciat, aut non sufficienter defendit eam, *Chrysof. homil. 35. super Matth.*

4. Antequam verò claustra & repagula, quibus analogiam & fractionem concludere & includere conatur, convellamus, examinanda venit illa quæstio; *An iis in locis in quibus nullus est usus frumenti & vini, loco panis & vini, adhiberi possit cibus aut potus alius?* affirmat philosophidion Vesaliense, *sect. 7. th. 7.* non sine jactura veritatis, quæ est tum anima nostratis philosophiæ, tum Christianæ professionis fundamentum, *Scal. ex. 3.*

5. I. Impiè enim evertit institutionem Christi, quæ disertè requirit panem & vinum, *Matth. 26. Marc. 14. Luc. 21. I. Cor. 11.* Usitata autem Scripturæ phrasi, non intelligitur aliquid vice panis, sed panis vel azymus vel fermentatus, vide *Levit. 2. & 3. Luc. 24. &c.* Requiritur etiam vinum: nam Christus disertè nominat genimen vitis, hoc est, fructum vitis, qui ex uvis exprimitur, *Matth. 26. v. 29.*

6. II. Essentiæ non mutantur, & quod alicui naturale & essentielle est, non potest ab ullo extraneo variari & immutari, *Scal. l. 3. de caus. ll. c. 66. Zab. de nat. cœl. cap. 5. de reg. aëris, cap. 2. omne. n. essentielle præsupponit τὸ κατὰ παντὸς, Zab. l. 1. post. cont. 36. axioma verò κατὰ παντὸς duas requirit universitates, unam subje-*

subjecti, alteram temporis, *Zab. l. i. post. cont. e 9.* Et quæ per se seu essentialiter insunt, ex necessitate insunt, *Zab. l. i. de prop. necess. c. ii. & l. 2. c. 2.* necessarium verò est, quod aliter se nõ potest habere, seu quod impossibile est non esse, *Fons. l. 2. Dial. inst. c. 2. Zab. l. i. de prop. necess. c. i. & l. i. post. analyt. cont. 28.* Atqui ad integritatem & essentiam Eucharistiæ constituendam requiritur simul panis: materia enim SS. Cœnæ est panis & corpus Christi, vinum & sanguis Christi, forma verò est manducatio & bibitio non quævis, sed manducatio panis, qui est communicatio corporis Christi, & bibitio vini, quod est communicatio sanguinis Christi, juxta illa ipsius Christi verba: *edite, hoc est corpus meum, bibite, hic est sanguis meus.*

7. III. Deliberet disputator cum *Schonfeldio*, novo scilicet Hassiæ reformatore, quomodo panis è radicibus confectus frangi debeat in usu cœnæ? qua item forma placentæ sint fingendæ & pinsendæ, ubi veri panis nullus usus? quid? si panis est vicarius & Analogicus, num & pistio vicaria aut analogica erit?

8. IV. Quid causæ cur non pariter in Baptismo alia, quæ verbi aut elementi vicem gerunt, adhibentur, præsertim cum & hîc analogia fingi possit muneris & virium? Cur non adhibet Respondens cum Paulicianis aquam vivam mysticè intellectam, cum statu-
at nul-

at nullum mysticum in Sacramento omittendum esse? cum Jacobitis candens ferrum? cum Manichæis nullam rem corporalem? *August. de heres. c. 46.* cur non cum *Theod. Beza in Epist. 2.* quovis alio liquore (fortè etiam cerevisia Corbachiana) non minus ritè quàm aqua baptifat? videlicet juxta dicta *Joh. 3. Ephes. 5. 2. Pet. 3. & August. tract. in Joh. 15.* itemq; exemplum Christi, *Luc. 3. Philip. Act. 8.* cur non in defectu aquæ arenam adhibet? ut ille apud *Niceph. l. 3. histor. c. 37.* cur non loco formæ adhibet quamvis aliam, quæ vicem & analogiam gerat cum Gnosticis, *Iren. l. 1. c. 18.* cum Arianis, *Niceph. l. 16. c. 35.* cum Eunomianis, *Socrat. l. 5. c. 24.* cum *Bernhardo* nomen sanctæ crucis? *Epist. 340.*

9. V. Analogiam muneris & virium habebant Cataphryges, cum farinam in Cœna adhibendam cum sanguine infantulorum miserent, *August. de heres. c. 26.* Peputiani, cum ad panem adhiberent caseum, *August. de heres. c. 28.* Manichæi panem infando modo miscebant, ut plus muneris & virium haberet in Eucharistia, *August. de heres. c. 46.* Aquarii aquam adhibebant tantum: Pontificii vinum aqua dilutum, quippe quod id plus analogiæ & mysterii haberet, vide *Bellarmin. l. 4. de Euch. c. 10.* & *II. Gregorium de Valent. tomo 4. in Thomam.*

10. VI. Sed forsitan adversarius autores suas

suæ opinionis habet gravissimos? ita est: quos
verò? præter *Jesuitas Innocentium Octavum*
Papam Romanum, qui in Norvvegia & locis
Septentrionalibus ob vini defectum aquam
permisit. O bellam societatem! Gaude Beza!

II. VII. Nullas verò sui pronunciati ra-
tiones? Opinor. Transcribit enim ex *Theod.*
Beza Epist. 2. panis vel vini vicem vel ex com-
muni usu, vel pro tēporis ratione suppleri, &
inter nostrum panem & illorum analogiam
esse muneris & virium. Egregia & Seraphica
ratio, jam à nobis profligata? Quid ais, sive *Be-*
za sive *Branti*? ergone & crudæ carnes, pisces
à Sole exicati, &c. adhibēdi erunt, quippe qui
in *Islandia* aliisque locis (teste *Munstero* & *Hero-*
doto, & *Sc. ex. 22.* & *ex. 292. f. 4.*) panis nostri vi-
cem gerunt? Quid? adhibendi etiam erunt
salpæ seu pisces aselli (Germanicè *Stockfisch*.)
Nam & hi panis vicem gerunt in *Engrovelan-*
dia, teste *Magino Cosmographo*.

12. VIII. Eò progressum est (quod tibi
Christe queror) istorum hominum studium,
ut culicem percolent & camelum deglutiant,
Matth. 23. in defectu panis & vini, (addo & a-
quæ in baptismo) qualvis res alias, quæ analo-
giam habeant, adhiberi malint, & interim ac-
cidentaliter panis forma offendantur, bellum
circa eam moveant, panesq; nostros rotun-
dos panes esse negent, & contra spumas &
nebulas vocent; qui spumosi & nebulosi ho-
mines

mines sanè digni essent, ut spumis & nebulis
pascerètur, aut a pludas ederèt, floces & fæces
biberent, donec tandem panis definitionem
apud *Pli. l. 18. c. 12.* & *Sc. l. 1. de plan.* intelligerèt.

13. Accedimus nunc ad Analogiam & fra-
ctionem panis: cui Antagonista præmittit di-
stinctionem inter verbum auditum & visum: il-
lius functionem esse dicit ἀκρόασις, hujus αὐτοψί-
α, idq; probat non testimonio Prophetæ sed
Poëtæ, scilicet quia

*Segnius irritent animos demissa per aures,
Quam quæ sint oculis commissa fidelibus. Horat.
Verbum autem seu testimonium visibile vocat
Sacramentum.*

14. At sciendum propter Sacramentarios,
qui sub his appellationibus monstrum alunt,
Sacramentum non esse visibile nisi ex patre.
Aliud. n. in Sacramentis videtur, aliud intelli-
gitur. Quod videtur, speciè habet corporalè,
quod intelligitur, fructum habet spiritualem,
Aug. & Beda in 1. Cor. 10. Sacramenta sunt vi-
sibilia rerum divinarũ signacula, sed res invi-
sibiles in eis honorãtur, *Aug. de Catechis. rud.*
*Chrys. hom. 8. in Mat. & hom. 60. ad populũ An-
tioch.* Quod videmus species est panis & vini:
q̄ sub illa specie credimus, verũ corpus & ve-
rus sanguis Christi est, q̄ pependit in cruce &
fluxit ex illius latere, *Bernh. de Cæna Domini.*
Nos specie panis & vini, quam videmus, res
invisibiles, id est, carnem & sanguinẽ Christi
hono-

honoramus, *August. in sentent. Prosper.* Non potest videri sanguis ejus, quò redempti & vivificati sumus esse in calice, quando vinum desit calici, quo Christi sanguis ostenditur, *Cyprian. l. 2. Epist. 3.* cum illis rebus, quæ videntur, simul adesse creditur corpus & sanguis Christi, *Chrysost. in Epist. 1. Cor. hom. 24.* Ex quibus duo potissimum colliguntur 1. Sacramentum non esse prorsus visibile. 2. particulas, *In, Cum, Sub*, non esse nuper inventas, sed à pia quoq; antiquitate usurpatas. Faceffat igitur acuri hominis cavillum poëticum:

In, cum, sub totum fallunt monosyllaba mundum.

15. His præmissis, primùm ait adversarius, hîc frangere esse manu unum integrum panem in multas particulas dividere, seu infrusta tribuere, instar nostratis libi: Probat 1. *Antecedentis & consequentis confusio est sophistica: Fractio panis habet se ut antecedens & consequens. E.* Confirmatur assumptio hoc modo: *Si fregit est idem quod distribuit & dedit, oratio Christi est nugax. At consequens est absolum, imò dictu nefas. E.*

16. R. Achillea hæc est Panoplia, sub qua latitans personatus ille Philosophiæ & Theologiæ studiosus, victoriam & lemniscatam palmam certò sibi promittit. At bone vir, caper nondum peperit, hædus autem ludit in tectis: An nescis, quòd nonnunquam distin-
cta vo-

ſta vocabula pro eodem accipiantur, ad majorem rei declarationem ſine tautologia? Et enim, id frequenter iis, qui aliquid intellectu difficile explicare laborant, evenire ſolet, ut ita per conjunctionem copulativam plura vocabula ad invicem connectant, ut quod uno minus ſufficienter, aut non ſatis lucidè poteſt explicari, ſaltem per plura dicatur lucidiùs, *Titel. l. 2. c. 16.* Quam ſententiam ambabus ulnis amplecti videtur *Pererius*, quando ita ait: In doctrina demonſtrativa adhibere verba ſynonyma vitioſum eſt, ſi proſus fiat ſine cauſa, ſin autem ut res, de qua agitur, magis perſpicuè, diſtinctè, graviter & ornatè declaratur, licet uti verbis ſynonymis, *l. 3. de ord. doct. phyſ. c. 1.* Hinc enatum eſt Rhetorum $\chi\eta\mu\alpha$ ἐκ παραλήλων, *συνωνυμία*, ἐξήγησις, ἐπεξήγησις, verborum congeries *Fabii*, de qua hoc præceptum traditur, ut in verbis poſterioribus, quæ explicationis gratia adhibentur, major ſit emphaſis & perſpicuitas: imò *Dounamus* eam peculiarem axiomatis affectionem facit, *lib. 2. Dialect. pag. 508. & 509.*

17. Audiamus nunc & alteram rationem: *Quæ subordinata ſunt, diſtincta ſunt: in illorum numero ſunt fractio panis, & diſperſitio ac traditio.* *R.* Subtilitas equidem maxima, quam ne oculus naturæ unquam vidit, *ex Scal. exer. 14.* Aut enim ſunt ejuſmodi subordinata, quæ pura pura ratione diſtinguuntur, *Zab. de trib.*

B

precog.

precog. c. 12. & 14. l. 1. post. cont. 69. Per. l. 1. de phil. c. 14. at quid tum postea? annón enim ea, quæ distincta sunt, & ratione tantum differunt, idem significare & mutuo se explicare possunt? vide Zab. l. 3. de meth. cap. 15. & l. 1. de prop. nec. c. 3. & Goclen. l. 2. Isagoges in org. l. 2. c. 1. s. 1. E. sunt distincta. Et per consequens cælum est rotundum. Quæso. n. te mi homo, quid inde evincēs? anné nugationē aut adoleschiam? At jam dictum est, distinctionem rationis nugationem tollere. Idem re est homo atq; hominis definitio, & tamen dicimus hominem habere definitionem, nec ullam committimus nugationē, quia differunt ratione, Zab. de nat. cæl. c. 8. Keck. Syst. L. 1. 2. p. 311. Et si adversarius diceret, distingui tantum ratione, sententiæ nostræ subscriberet, & leviter hic desereret quod pertinaciter prius assererat. Distinctio enim rationis est, cum in re non est distinctio, sed solus intellectus distinctionem sibi format, ita ut nullum simpliciter sit diversitatis fundamentum in rebus ipsis, Keck. Syst. Log. l. 1. p. 275. Ursin. (non Calvinista) de distinct. q. 18. Aut igitur erunt subordinata conjuncta aut disjuncta: non conjuncta, eorum enim superioris concurret ad constitutionem & definitionem inferioris, ut corpus ad constitutionem animalis & animal ad hominis, Keck. Syst. L. 1. 1. p. 264. at fractio Calvinistica (nempe ut est integri alicujus panis in multas partes seu frustra

frusta divisio) non ingreditur essentiam dationis, sed tantummodò antecedit: neque disjuncta, ea enim conveniunt vel genere vel specie, *Keck. Syst. L. l. 1. p. 265.* at fractio & datio genere non conveniunt: omne .n. genus cum sua specie est ejusdem prædicamenti, *Arist. 4. Top. c. 1. t. 5. vide supra th. 20.* fractio verò & datio sunt res diversorum prædicamentorū ex *Ram. l. 1. Dial. c. 14.* Neq; conveniūt specie: eadem .n. specie sunt, quæ ordinantur sub una specie specifica, & communicant ejusdem definitione, *Keck. Syst. L. l. 1. p. 265.* At concedamus adversario esse subordinata disjuncta, quid .n. absurdi inde sequatur, non video; neque enim sic causam suam evincere poterit.

18. *III. Rat.* nihil militat: 1. non .n. probat frangere esse idem quod distribuere, id quod erat in quæst. 2. connexio nō probatur, sed nudè asseritur. 3. nulla in ea est συνέχεια nulla συνάφεια. 4. ex verbis instit. non deducitur. 5. assumptio. etiam, vinū effusum repræsentare mortem cruentam, aut sanguinē effusum in cruce, nusquam in verbo Dei scripta, dicta aut picta, sed in cerebri Cingliani liripippio ficta est. 6. & novā actionem sacramentalē introducit. 7. totus deniq; syllogismus papissat, & duas præcipuas Missatici sacrificiū partes approbat. 1. crucifixionē Christi in fractione panis. 2. effusionem sanguinis Christi in effusione vini. Maeste philosophe sic itur ad astra!

19. *Secundo* ait disputator, *fractionem panis in Cæna esse repræsentativè seu sacramentaliter fractionem, id est, immolationem seu crucifixionem corporis.* Euge! Belle! quicumq; igitur panem frangit, Christum immolat, lacerat, vires ejus resolvit, membra contundit, ossa disseparat, latus adaperit, pedes ac manus fodit, crucifigit & mactat, divellit & separat animam à corpore. Quo ruis?

20. Confirmatur I. *Quicquid pani fit secundum institutionem Christi, id corpori ipsi Christi fieri dicitur:* Assumo: pani fit secundum institutionem Christi ut edatur ore, ergò & corpus Christi editur ore, juxta dictum Leonis Magni: Hoc ore sumitur quod fide creditur, &c. Et meminítne Respondens sui Præsidis syllogismi: *Corpus Christi pro nobis fuit crucifixum: panis Cænae non fuit pro nobis crucifixus. E. panis Cænae non est corpus Christi,* & per consequens, non omne quod fit pani, corpori ipsi Christi fieri dicitur vel M. Goclenio & Zvinglio judice. *Dici autem hoc non posset* (pergit adversarius) *nisi inter panem & corpus Christi esset schesis, analogia & unio quædam: Qualis? num fractionis Dominici panis? an publicæ pacis? vide August. confess. art. 15.* Equidem unio & schesis est inter panem & corpus Christi, sed talis, ut panis non jam sit communis panis, sed percipiat vocationem Domi-

Domini, ut loquitur *Irenaeus l. 4. adversus haeres. Valent. c. 34.* talis, inquam, unio, quæ consistat in offerendo & exhibendo, non significando, figurando & repræsentando, ita ut non alio modo corpus Christi dicatur panis, quàm arca fœderis vocetur præsentia Dei, ut impiè statuit *Calvinus in defens. secunda, pag. 893.* Plura de hoc paulò post.

21. Ut pressius hoc inculcet adversarius, ita procedit: *Quæ tribuuntur propriè & simpliciter Sacramentis, aliquo modo tribuuntur & rebus, quarum sunt Sacramenta. Atqui panis qui frangitur, est Sacramentum. Ergo et corpus Christi, quod est res Sacramenti, aliquo modo frangi dicitur.* R. per inficiationem: non enim necesse est, ut omnia ea, quæ sunt in signo, aliquo modo etiam sunt in signato: vide *Scal. l. 3. de caus. ll. c. 70.* nominâ enim sunt signa rerum, *Scal. ex. 6. f. 4. l. 1. de caus. ll. c. 1. & l. 3. c. 75.* at nomina sunt accidentia, *Scalig. exer. 6. f. 4.* non enim sunt naturalia, sed arte facta, *Scalig. exer. 266. exer. 293. & l. 3. de caus. ll. c. 67.* at res, quas significant, sunt substantiæ, nec factæ à voluntate nostra, sed à natura per certas causas operante, vide *Zab. l. 1. de N. L. c. 2. & 3.*

22. Quid? quòd de Sacramentis V. T. (quorum natura tamen extra controversiam in præfiguratione & adumbratione posita est) hoc simpliciter pronuciari & dici nequit: quis enim omnia attributa seu prædica-

ra agni paschalis, in agnum Dei, quem præfigurabat, aliquo modo cadere affirmare velit? unde etiam Zabarella, non necesse est, inquit, ut ea, quæ inter se conveniunt, in omnibus conveniant, & quæ inter se differunt, in omnibus differant, *de ord. intel. c. 4.* Et vix reperias duas res, quæ non aliquatenus conveniant, aliquatenus differant, *Flac. l. 1. Dial. c. 21.*

23. Non incongruè etiam respondetur, quòd alia sit ratio Sacramentorum V. T. alia Sacramentorum N. T. Differentia enim horum Sacramentorum in primis consistit in eo, quòd Sacramenta V. T. umbram habebant, figuras atq; significationes Christi olim exhibendi: Sacramenta autem N. T. umbris ejusmodi & figuris carent, & præsentem offerunt & exhibitum in carne Christum, *Col. 2. Heb. 10. Luc. 10. Matth. 26.* Illa erunt prænuntiatio rem futuram: nostri temporis Sacramenta in esse contestantur, quòd illa venturum esse prædicabant, *Aug. l. 2. contra Donatistas, c. 37.* Quòd si igitur differentia horum Sacramentorum in eo est constituta, ergò & essentia: unde enim quælibet res habet speciem & naturam, inde primò & per se habet distinctionem à cæteris, *Fons. l. 4. Metaph. c. 1. q. 1. s. 1. Sc. exer. 307. s. 27.*

24. Quæris: *quomodo dicatur corpus Christi frangi vel metaphoricè in se, vel symbolicè in pane ut subjecto?* R. vide infra thesin 44. 2. Eo modo

modo frangi dicitur, quo dicitur traditum ab Evangelistis, & Christus apud Esaiam attritus propter peccata nostra, *Esaia 53.* & excisus à *Daniel. cap. 9.*

25. Concludis: *ubi igitur metaphora est, ibi analogia quaedam.* Hic *Metaphora est, corpus Christi pro vobis frangitur. E. hic analogia quaedam, ut panis Cœnae frangitur, sic corpus Domini occiditur.* R. Perinde ac si dicerem, Zvinglius dormit, ergo Olevianus somniat: multa quidem dicis sed pauca probas. Et hanc tuam analogiam ἀλογον reddit *Fonsæca*, dum ait, quod analogia secundum proportionem necessario significant formam, quæ insit in omnibus membris dividendis, non modò propriè dictis, sed etiam impropiè & per tropum, *l. 4. Met. c. 2. q. 1. s. 6.* id quod inductione exemplorum clariùs elucescit, vide *Zab. l. 1. de meth. c. 7. & de const. scient. nat. c. 10.*

26. Porro, *urges etiam analogiam inter archetypum et veram imaginem, seu antitypum panis Eucharistia, ad quam probandam objicis dictum illud Joh. c. 6. ubi Christus se vocat panem, & vicissim panem in sacra Cœna acceptum suum corpus, quam permutationem nominum prorsus ἀλογον esse necesse est, nisi statuatur dicta analogia, quod verò est absurdum, &c.* R. 1. est elenchus parium, aliud enim est tota Christi persona, aliud corpus Christi. 2. ex hypothese concedatur aliqua analogia, sed num ea consistit

sistit in fractione panis? credite omnes, Cinglius dicit. 3. Caput 6. Johannis nihil ad Cœnam, vide *Lutherum de capt. Babyl. c. 1. Chemn. part. 2. exam. Concil. Trident. c. 1. sess. 2.* quibus assentitur *P. Martyr. part. 1. contra Gardin.* itemq; *Cinglius & Oecolampadius.* 4. Itaq; *Joh. 6.* panis intelligitur absolutè, non sacramentaliter, de quo hoc loco quæritur.

27. Sed & sic arguis: *Omnia Sacramenta siue sint veteris, siue novi Testamenti, analogiam habent cum signatis, adeò ut Sacramenta, si similitudinem quandam nõ haberent earum rerum, quarũ sunt Sacramenta, non essent Sacramenta, ex Aug. in Epist. ad Bonif. Panis fractus in Cœna est Sacramentũ. E. R.* Nos utraq; manu largimur, & largimur quidẽ prolixè benigneq; aliquã analogiam in Sacramentis? ideo enim & inde cõmunem sortiuntur appellationẽ, quòd Sacramenta vocantur; sed quæ ab ea, quam tu fingis, toto cœlo distat, quæ videlicet sit communis omnibus Sacramentis, & cujus tota vis atq; ratio consistat in significando, figurando & representando: quæ sententia ut pro fulcro & fundamento non habet S. Scripturam, ita aduersa fronte pugnat cum Sacramentorum N. T. institutione.

28. I. Analogia enim Sacramentorum, atque conformis proportio intet se in iis rebus quærenda est, quæ sunt omnibus Sacramentis communes, non quæ sunt cuiq; Sacramen-

ramento propriæ. Atqui causa efficiens & finis generalis communis est omnium Sacramentorum, itemq; quòd constant verbo & elementis externis in quibus aliud sensibus videtur, aliud ex verbo juxta verbum intelligitur, *August. in sermon. ad infantes.* Ergo in his est quærenda proportio Sacramentorum omnium inter se.

29. II. Analogia respicit integrum Sacramentum, vel Sacramenti partes.

30. Analogia Sacramenti integri est proportio seu ratio totius ad usum spirituales, ut circumcisio sacramentalis significat, offert, applicat & obsignat fide utentibus circumcisionem spirituales: in sacra Cœna est analogia inter manducationem sacramentalem quæ fit ore, & manducationem spirituales, quæ fide perficitur, & sic de cæteris.

31. Analogia partium Sacramenti inter se est proportio, schesis sive habitudo elementi externi, sive signi terreni ad suum signatum, sive rem cœlestem. Est verò hæc analogia non uniusmodi in omnibus Sacramentis, sed distincta. Nam & alia signa sunt Sacramentorum V. alia N. T. & alia est illorum, alia horum signorum ratio atq; modus: illa sunt schematica, signa significantia, adumbrantia, præfigurantia, hæc verò sunt symbola metadotica, exhibentia & conferentia: quare illic inter signum & signatum est analogia in signifi-

B § cando,

cando, hîc verò in exhibendo & conferendo:

32. De unoquoque enim Sacramento judicari debet ex propria institutione seu divina ordinatione. Atqui in Sacramentorum N. T. institutione non tantum nulla fit mentio significationis seu figurationis & adumbrationis symbolicae, sed etiam disertè ea negatur. Ergò in Sacramentis N. T. non sunt fingenda signa significantia, sed exhibentia & offerentia. Vinum. n. Cœnæ Dom. non typus, non figura, non significatio, sed communicatio sanguinis Christi est. Et quis tropus aut in quibus vocibus est, quando Christus inquit? Baptisate eos in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti: Qui crediderit & baptisatus fuerit salvus erit.

33. Adhæc quæ est ratio testamēti, ea quoq; & Sacramentorum ejus: Sacramentum enim est sui testamenti quasi quidam nucleus & obsignatio: at vetus testamentum seu lex umbram bonorum futurorum habuit, nō ipsam icona rerum: novum autem testamentum absolutam icona seu rerum olim adumbratarum substantiam continet, non verò umbratilem delineationem aut significationem, quapropter & Sacramenta sic ab invicem different, vide *Dn. Chemn. de fund. SS. Cœnæ pag. 217. & seqq.*

34. Falsitas verò assumptionis hujus tui syllogismi, quâ fractū panem Sacramentū appellat-

pellabas, inde elucet, quòd positâ definitio-
ne ponitur & definitum, sunt enim uno nu-
mero, *Scalig. exercitat. 300. sectione 1. exercit.
317. sect. 4. l. 6. de caus. ll. c. 127.* At posito fracto
pane non ponitur Sacramentum Cœnæ, cum
insuper requiratur verbum, corpus & san-
guis Christi. Quare ut Põtificius detrahis &
denegas laicis calicem, & ut Calvinista sepa-
ras & excludis ab essentia hujus Sacramenti
corpus & sanguinem Christi.

35. Et libenter ex te discerem, quo tan-
dem Scripturæ fundamento, aut specie veri-
tatis comprobaveris analogiam istam: Ut pa-
nis ad hanc vitam caducam, sic caro Domini
ad vitam eternam: ut aqua ad corporis sordes,
sic sanguis Christi ad animæ labem, membro
1. thes. 7. & 28? Prioris nullitatem ostendo I.
ex Apostolo dicente: Num domos non ha-
betis ad edendum & bibendum? I. *Cor. II. v. 22.*
Quod si quis esurit, domi edat, v. ult. II. ex *ca-
none Concilii Niceni.* Non multum sumimus,
sed parû, ut agnoscamus, non ad saturitatem,
sed ad sanctificationem hoc sumi. III. ex
Irenæo l. 4. adversus hares. Valent. c. 34. Quem-
admodum qui est à terra panis percipiens vo-
cationem Domini, non jam communis panis
est, (videlicet ut alat corpus & sedet famem)
sed Eucharistia ex duabus rebus constans,
terrena & cœlesti. Itemq; *Theodor. Dial. I.* Qui
naturale corpus triticum & panē appellavit,
& rur-

& rursus seipsum vitem nominavit, is visibilia symbola corporis & sanguinis sui appellatione honoravit, non naturam mutans, sed gratiam adjiciens. Posterioris ex dicto Petri: Baptismus nos salvos fecit, non carnis sordes abjiciendo, sed ut bona conscientia benè respondeat apud Deum per resurrectionem Jesu Christi, *1. Epist. c. 3.*

36. Verum & improbabilis tibi est hæc expositio: quod pro vobis distribuitur, cum Christus pro nobis quidem sit passus, sed non distributus, I. quidam negant æquipollentes esse phrasas, quod pro vobis traditur, & quod pro vobis frangitur, illamq; referunt ad passionem, hanc ad Eucharistiam, II. sensus etiam hic potest esse: hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur, id est, quod in illo Cænæ usu mediante pane inter vos distribuitur, vel quod pro vestris peccatis expiandis vobis datur. III. Quæstio est de corpore Christi: quod autem pani fit secundum institutionem Christi, id corpori ipsi fieri supra dicebatur.

37. Deniq; suaviter philosopharis *de loco 1. Cor. 10.* Panis quem frangimus. *R.* uno verbo: Apostolus panem, qui frangitur, vocat communicationem corporis Christi: Communicatio autem illa non consistit in divisione unius alicujus panis in minutulas particulas, sed potissimum in usu, distributione, in manducatione. III.

III.

Verum enimverò analogiam inter fractum panem & fractum Christi corpus plenius intelligi dicit adversarius ex explicatione questionis ultime proxime sequentis. Artoclasian igitur necessariam dicit necessitate debiti non coactionis: ubi in primo statim limine impingit: siquidem ubi expressum verbum Dei non est, ibi nulla debiti necessitas est: & quod neq; contra fidem neq; contra bonos mores injungitur (non necessarium, sed) indifferenter est habendum, & pro eorum inter quos vivitur societate servandum est, August. lib. I. cap. 2. ad Inquis. Januar. Sed patienter audiamus ipsius ratiunculas.

39. Ratio I. *Ministri & legati est omnia agere ex prescripto & mandato Domini sui, non ex suo arbitrio: Christus Dominus noster suos iussit frangere panem: Hoc facite. R. I. est elenchus à dicto secundum quid ad dictum simpliciter: hoc enim præcepto Christi non jubemur omnia ea agere, quæ ipsemet tunc fecit; aliàs enim in palatio diversorii celebrandum à nobis esset illud mysterium, & tempore vespertino, & in domo privata, &c. cum domum Evangelistæ Johannis eum locum, ubi Christus Cœnam instituit nominet Niceph. l. I. c. 28. II. In ceremoniis non requiritur mandatum Dei. III. Apostolus, hoc facite, refert ad manducationem & bibitionem*

nem

nem. Quotiescunque comederitis panem hunc, & de poculo hoc biberitis, mortem Domini annunciate, donec venetis, I. Cor. II.

40. Instat: Si τῶ hoc facite non præciperetur etiam fractio, sed tantum comestio. sequeretur hic præcipi discipulis tantum ut communicantibus, non ut administrantibus, at hoc præceptum pertinet ad discipulos etiam, ut administrantes mysterium. Quibus enim extrema præcipiuntur, iisdem præcipi etiam medium inter extrema interjectum εὐλογον est: administrantibus cœnam præcipiuntur extrema Eucharistia ἡ δῶσις panis. Iisdem igitur præcipi melius inter hæc κλάσις ἄρα εὐλογον est. R. I. Contradicit Apostolo I. Corinth. II. II. Quod si omnino hoc facite transferas ad totam actionem Christi sacramentalem, distinguo inter id quod necessarium, & id quod liberum est & indifferens. III. Ut congregiamur cominus, distinguo etiam inter fractionem ipsam, cujus unicus finis est distributio, & modum fractionis. Dico fractionem esse necessariam, quia sine ea non potest fieri distributio inter communicantes, nego modum fractionis esse necessarium, ac præceptum à Christo. Hic Rhodus, hic salta. Administrantibus cœnam & communicantibus præcipi non tantum extrema, Eucharistiam & dationem panis, sed & medium inter hæc, fractionem panis, ait ille: Uti autem nulli præcipitur modus Eucharistiae & dationis, ita

nis, ita & modus fractionis, quia extremorum eadem est ratio quæ & medii. Primitiva Ecclesia gratias egit verbis orationis Dominicæ & institutionis Cœnæ, teste *Iustino Martyre*; num verò peccaret, qui cum Christo diceret hymnum, *Matth. 26. Psalmum 119.* quem Christum cum discipulis post celebratam cœnam cecinisse, statuunt nonnulli ex piis veteribus; aut in recordationem passionis Dominicæ recitaret *Psal. 22.* quoniam Christum illum totum in cruce orasse censent *Capnio de verbo mirif. lib. 2. cap. 11. & Galatinus lib. 8. cap. 18.* Et proba, si vir es modulationis.

41. Ratio II. *Nihil potes agere, quod sit acceptum Deo, nisi agas ex fide, ex scientia certa & ipsius Dei ordinatione. Quicquid. n. ex fide non est, peccatum est, Roman. 12. v. 23. R. I.* Pudere vehementer debet illos, qui cum alios veniunt oppugnatum, ipsi ea argumenta afferunt, quorum culpa convincantur, *Scal. lib. 1. de caus. ll. c. 11.* Christus inquit in SS. Cœna, hoc est corpus meum, at vos tanto intervallo distare facitis corpus Christi à Cœna, quanto intervallo supremum cœlum à terra distat. *Beza Epist. 5. p. 204. & part. Theolog. & contra Brent. p. 510.* virtutem saltem non substantiam carnis percipi scribitis, *Calvin. in defens. secund. pag. 896.* quæ sententia tam est absurda, ut quemadmodum cerebrum, quod eam

eum dictasset, elleboro, ita manus, quæ scrip-
 sisset, scuticâ, liber, qui nugis illis oblitus es-
 set, spongia aliqua dignus esse videretur, *ex*
Scal. exer. 37. sect. 1. II. nos institutionem
 seu ordinem Christi non turbare, sed ejus ex-
 emplum imitari, videre est ex præcedentibus.
 III. Per fidem Apostolus intelligit consci-
 entia non ambigua, non titubantis, sed cer-
 tæ, sed tranquillæ securitatem de libertate
 Christiana in adiaphoris, & concedit vel res
 indifferentes, ex fide esse posse. At res indif-
 ferentes à Deo ordinatas non esse, tam in pro-
 clivi est, quàm pluvia cùm est imber. E. sacer-
 dos non omnia agit ex fide, ex ordinatione
 Dei, & tamen scientiam tranquillam, mini-
 meque hæsitantem potest habere conscien-
 tiam.

42. Ratio III. *Quod in Cœna mysticum*
est, omittendum non est. Fractio panis in Cœna
mystica est: non igitur omittenda. O acumen
 Philosophico-Theologicum! Panis azymus in
 Cœna mysticus est juxta illud: Pascha nostrum
 immolatus est Christus: itaque epulemur in
 azymis sinceritatis & veritatis, 1. Corinth. 5.
 Ergo panis azymus necessitate debiti in Cœ-
 na requiritur, quæ fuit olim opinio Græco-
 rum, tandem transacta in Concil. Florent. an-
 no 1539. Adhæc vinum rubrum, aut vinum
 aqua dilutum, quod Christus pro more regio-
 nis Judaicæ à nonnullis in Cœna adhibuisse
 puta-

putatur, hodieq; adhibetur in Italia & Gallia, mysticum est, & quidem magis quàm fractio panis, vide *Bellar. lib. 2. de Euch. & Gregor. de Valent. cap. 4. disp. 6. quest. 2. p. 1.* Ergò vinum rubrum aut vinum aqua dilutum necessitate debiti in Cœna requiritur, quæ est hæresis Papistarum, à quibus disputator ille propositionem majorem hausit: videat ergò ne & in errores illos, qui sub ea teguntur, committat. Assumptio itidem Papistica est, & confutata tum ex præcedentibus, tum ex sequentibus.

43. In IV. Rat. fractionem necessariam dicit ratione habita mandati & finis Cœnæ, qui est commemoratio passionis & mortis Christi, ad quam fieri contendit fractionem panis. *Scilicet in hac, inquit, facta est nervorum laceratio, resolutio virium, attritio, contritio, contusio membrorum, disseparatio ossium, adaperitio lateris, fossio pedum ac manuum, crucifixio & mactatio, divulsio & separatio animæ à corpore.* R. I. Crambem bis coctam apponit. II. Dicit non probat. III. confundit totum & partem Cœnæ. IV. confundit diversas quæstiones: quæritur de laceratione & fractione corporis, non de toto composito, aut divulsione animæ à corpore. V. Itaq; non amplius intelliget fidelis anima fractione panis denotari fractionem corporis, sed divulsionem & separationem animæ à corpore.

44. Figam pedem Antagonistæ & agam pressius: Fractio significat fractionem Christi propriè aut tropicè. Si propriè, ergò vera fractio significat tropicam: absurdè! si tropicè, ergò analogia erit inter divisionem unius massæ in plures particulas, & fractionem & divisionem Christi in plures partes. Significat ergò fractio aut separationem divinæ & humanæ naturæ per passionem & mortem Christi, quæ hæresis est Nestorii: aut significat divisionem corporis in multas partes, aut tributionem in frustra instar libi Calvinistici: sed hoc negat Scriptura, Joh. 19. reclamatur agni paschalis typus, Exod. 12. Aut significat divisionem & separationem animæ à corpore: at repugnant verba institutionis: Accipite, edite hoc est corpus meum: Si enim divisionis & comminutionis Cinglianæ analogia est, sequitur communicantes non tantum corpus, sed & animam Christi accipere & edere, aut alteri fracti panis particulis animam vel partem animæ Christi, alteri corpus Christi vel partem corporis significari. Blasphemia in nullo tolerando trivio!


45. Ratio V. *Nisi*, inquit ultimo loco, *unus quispiam panis ita dividatur in partes inter actionem Cœnæ futurum ut non participemus de uno pane, cum tamen Apostolus omnino id requirat, inquit: unus panis, unum corpus multi sumus, quia omnes de uno pane participamus.*

Bl. I.

¶ I. Panis Cœnæ Dominicæ dicitur unus, non ratione massæ, sed ratione sacramentalis usus, gratia cuius ad communionem corporis Christi ordinatus est: alias enim Christiani in diversis Ecclesiis locorum intervallis & spatiis sejuncti non fierent participes unius panis, quæ sententia è diametro repugnat Paulo. II. aut intelligitur unitas numerica, quæ est ejus quod simpliciter & propriè unum est numero, *Keckerm. Syst. Log. lib. 1. pag. 262.* aut specifica, quæ est eorum, quæ communicant ejusdem definitione, *Kecker. ibid. pag. 265.* Non numerica: non enim idem numero panis, qui tibi à ministro Ecclesiæ offertur, ab eodem & mihi datur: ergò specifica, hanc verò non tollunt placentulæ nostræ, sed æquè servatur in iis, atq; in Calvinistica fractione unius massæ in quatuor vel plures particulas.

46. Dicta sive Patrum, sive Lutheri tribus verbis expediuntur: I. laborant enim ignorantia Elenchi, & pleraque loquuntur de ejusmodi fractione, qua fit distributio inter multos communicantes. II. & jam antea confutata sunt à Theologis Clarissimis Wittenbergensibus in scriptis contra deformatores Anhaltinos. III. & de non nullis verum est illud: Quem recitas meus est, o Calvinista, libellus, sed male dum recitas, incipit esse tuus. IV. de singulis etiã peculiari

disputatione, si curæ pretium videbitur, futius agetur. V. ac nisi me omnes sensus fallunt, pro merito vel in hac ipsa materia tractabitur adversarius, quicumque etiam sit, ab Excellentiss. & exer. Philosopho, Medico, & Theologo, Dn. Doctore Andraea Libavio, quem honoris causâ nomino.



DISPUTATIO II.

DE ANALOGIA.

*Præs. M. Casparo Finckio, Philos. Profess.
Resp. Justo Hien, Gleibergensi Nassovio.*

THESIS PRIMA.

MEgalandrum nostrum Lutherum nunquam ad partes Cinglianorum accessisse, aut in ipsorum dogmata compromisisse, vel cæco manifestum est, ut loquitur *Irenæus lib. 2. cap. 15.* Taceo nunc argumenta opposita Theolog. *Heidelbergensibus*, à Clariss. ac graviss. Theol. D. *Joachimo Morlino*, quæ primitus peculiari libello edita, & postea inserta sunt Apologiæ libri *Concordiæ*, fol. 716. impressæ Heidelbergæ, Anno 1583. & Sacramentarissimo *Joh. VVigandi*, pag. 366. sed tantum annoto pauca verba, quæ paulò ante obitum suum, Anno 1546. Jan. 17. senex, decrepitus,

pitus, piger, fessus, frigidus ac unoculus scriptus; *Beatus vir, qui non abiit in concilio Sacramentarium, nec stetit in via Cinglianorum, nec sedet in Cathedra Tigurinorum.*

2. Nec disputo an fidei litet, quòd à fratribus nostris, scilicet, fide plusquam Poëtica fingitur in responsione ad *Epitomen Colloquii Maulbrunnensis pag. 153. §. 2. Anno 1566. videlicet Philippum illum Melanchthonem, aliquando Luthero hæc verba dixisse: Mi Domine D. multos jam annos patrum dicta de Controversia Cœnæ diligenter excussi, Et ut verum fatear, Tigurinorum doctrina de Cœna propius ad eos accedit quàm nostrorum, &c.* Nam in epistola ad *Oecolampad.* typis descripta Argentorati vivo Melanchtone, anno proximo ante obitum *Lutheri*, patrum consensum, quoad patrem adversariam, disertis verbis *Melanchton* negat. Sed forsitan tantùm est mutatus ab illo!

3. Tantum abest, ut *Lutherus* in Analogiam Sacramentalem Cinglianam & fractionem panis Calvinisticam vel verbulo consenserit: Nam illam falsè ridet, & nervosè refutat in *Confessione majori* (edit. *Lavinganæ*) pag. 70. 71. & 120. & seqq. Hanc verò ita exponit, ut frangere nihil aliud esse dicat quàm distribuere, pag. 72. idq; probat per dictum *Gen. 42.* pag. 118. ubi etiam disertè negat, corpus Chri-

sti in cruce est fractum, & in partes comminutum: vide *thesin* 17. & 18.

4. His autem posthabitis & longum valere jussis, non ignotus noster adversarius Lutheri consensum crepat, ejusq; autoritatem, quam in corde suo ne hettæ quidem facit, tanquam Medusæ caput nobis objicit in *disputatione sua philosophica*. Ut quid Dialectica religionem decorare se credit, ubi magis per Dialecticam religio fœdatur? *Nazianz. in serm. de Arianis*. Quid Athenis & Hierosolymis? quid Academiae & Ecclesiae? quid hæreticis & Christianis? *Hieron. in epist. ad Galat.* Verba philosophorum excludit simplex veritas Piscatorum, *Ambros. sup. cantic. serm. 3. Tertull. in l. de præscript. advers. hæret.*

5. Verum enimverò dedita opera hoc agit homo callidus, ut simpliciorum oculos fumo perstringat, iisdemq; glaucomam objiciat. Suavior enim & verisimilis est exquirens fucos error, sine fucis autem est veritas, *Iren. l. 3. c. 15*. Error per seipsum non ostenditur, ut ne denudatus deprehendatur, sed amiculo splendore callidè ornatus, ut etiam ipsa veritate veriolem seipsum exhibere videatur imperitoribus per externam apparentiam, *Iren. in prolog. l. 1.*

6. Et dum hoc agit, ut Lutheri dicta Vulcania arte conferruminet, & pro se contorqueat, ostendit, se etiam de illorū grege esse,
qui

qui similia loquuntur, dissimilia sentiunt, *Iren.* l. 1. c. 1. similiter colloquuntur, nō similiter credunt, *Iren.* l. 4. c. 14. aut vicissim aliud sentiunt, aliud dicunt, *Iren.* lib. 3. c. 18. At audiat, & in his sensibus reponat, quæ vir Dei graviter contra ipsum & sociennos pronunciet, *tom.* 9. *Witteb.* f. 90. 1. *7hen.* f. 215. in *Epist. ad Francof.* *Tom.* 6. *7hen.* f. 107. & in lib. quod hæc verba firmiter perstent, p. 87. edit. *Lav.* & in *Schmalcald. art. præfat.* Quemadmodum enim Ptolomæi Philadelphi tempore, autoritatis conciliandæ gratia plurimorum scriptis Aristotelis nomē assignabatur, ut scribit *Ammonius in lib. Ἐπιπέμειας*: ita egregius iste Lutheri discipulus merces suas alienis operis interpolat, aut mangonium adhibere necesse non habeat.

7. Quin imò pro se etiam allegat testimonia quædam antiquitatis. Quanquam autem nos veram antiquitatem metiamur ex antiquo dierum *Dan.* 7. v. 13. & antiquitas nobis sit Christus Jesus, *Ignat. in Epist. ad Philipp.* civitas idem Dei credat scripturis sanctis veteribus, & novis, quas Canonicas appellamus, *Aug.* l. 19. de *civ. Dei.* c. 18. eademq; ad omnem instructionem veritatis sufficiat. *Athana. contra gentes*: antiquos tamen patres in argumentis secundariis non respuimus, præsertim si pro fundamento habeant verum, quod est ab illo, qui ait, ego sum veritas, *August.* tom. 3. lib. 1. de *doct. Christ.*

8. Ut ergo animadvertat fumigans Titio, qua dicamne fide an fraude? sive patrum sive Lutheri aliorumq; dicta allegaverit, locabimus ei hanc quoq; operam, ut breviter, perspicue & modestè, sicut in *disputat. I.* ad ea respondeamus, quod agrè ferre non potest, si bonus est & veritatem amat. Amicus enim si errat, docendus, si docet, audiendus est. *Aug. l. 2. de Trinit. cap. 1.*

9. Principiò, ut probet à consensu antiquitatis fractionem panis in Cœna necessitate debiti requiri, frangere item idem non esse quod distribuere, & consequenter inter fractionem panis & corporis Christi analogiam esse, producit I. dictum Ignatii ex epist. ad Philad. *Una est caro Domini, & unus ejus sanguis, qui pro nobis fusus est, unus etiam panis pro omnibus confractus, & unus calix totius Ecclesie.* R. I. Totum genus Ceremoniarum habet liberas observationes, *August. l. 1. de inquisit. Jan. c. 2. Reichs Abschied / Anno 1555. §. vnd damit / & §. damit auch / & §. nach dem.* Itaque nulla autoritas patrum hic quicquam nobis præscribere potest. II. Si vel mille Patrum plaustris comitati veniant Calviniani, nihil contra nos proficient. Patres enim unam in his saluberrimam regulam tenuerunt, ut quæ non fuerunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habuerunt aliquid ad exhortationem vitæ melioris, ubicunq;

cunq; institui viderunt, vel instituta cognoverunt, non solum non improbaverint, sed etiam laudando & imitando sectati fuerint, si aliquorum infirmitas non ita impedivit, ut amplius detrimentum fuerit, ut loquar cum *August. epist. 109. c. 18.* caverunt, ne tempestate contentionis serenitas caritatis obnubilaretur, *August. ad Casul. Epist. 86.* III. Ignatius in illa Epistola rogat Philadelphienses, ut insistent uni fidei, uni prædicationi, una gratiarum actione utentes, argumento tertio, quod sit una caro Domini Jesu, unus sanguis effusus, unus panis confractus, unus calix, unus Episcopus, quia & unus ingenitus, & unus unigenitus filius, & unus paracletus, una etiam prædicatio, & fides una, & unum baptisma, & una Ecclesia. Illa autem unitas non consistit in comminutione panis, in divisione in quatuor, quinque 10. aut 101. particulas, quæ multiplicatio potius est, quàm unio, sed in usu, in distributione, in manducatione, ut superiore quoq; disputatione diximus. Unde Cœna vocatur Sacramentum pietatis, signum unitatis, vinculum caritatis, *ab August. tractat. 26. in Joh. IV.* Veruntamen cum frangere hoc ipso in loco idem notare possit quod distribuere, *ut Gen. 44. Esa. 58. Thren. 3. Act. 2. & 27.* probanda erit adversario significatio comminutionis, ne videatur principium petere, aut ignorationem Elenchi committere.

C § Omnis

Omnis quæstio per aliud quod quæritur habet resolutionem, nec ambiguitas per aliam ambiguitatem solvitur, *Iren. l. 2. c. 10.*

10. II. Testimonium est Irenæi lib. 5. (c. 1.) *Quando mixtus calix & fractus panis percipit verbū Dei, fit Eucharistia corporis & sanguinis Christi.* R. I. Idem respondeo, quod ad prius. II. Quæstio nostra non est de ipsa fractione, quæ omninò necessaria est, sed de modo fractionis, qui ex hoc Irenæi dicto probari non potest, præsertim si Irenæus scripsisset Latine, quod putat Erasmus. III. Addit ibi Irenæus ex mixto calice & fracto pane augeri & consistere carnis nostræ substantiam: At hoc non fit tantū in pane quatenus comminuitur, sed potissimum quatenus distribuitur & manducatur. IV. Concedamus Irenæum per panem fractū intelligere comminutum: quid sequetur aliud, quàm describere ipsum ritum suo tempore in Ecclesia usitatum, quē tamen sub opinione necessitatis, cultus, aut ἀναλογίας retinendum esse nullibi dixit. V. Si ideò panis comminuendus est, quia Irenæus eum fractū vocat, etiam vinum aqua diluendum est, quia illud mixtū calicem appellat, & temperamentum calicis, *l. 4. c. 57.* quæ ipsa mixtio in primitiva Ecclesia æquè fuit usitata ac fractio, teste Justino & Clemente Alexand. *Pedag. lib. 2. c. 2.* eamq; ut necessariam urget *Cypria l. 2. epist. 3.* VI. Iren. illā fractionē non damnat, qua panis distri-

distribuitur & manducatur. Atqui fractione nostra distribuitur & manducatur. Ergo fractione nostra nō damnat. VII. Irenæus (quod in primis dictum oportuit,) adversarii causam dejuvat, nostram adjuvat: Vocat enim fractū panem ante Eucharistiam & perceptionem verbi Dei, &c. *Cy wer daheim blieben were!*

II. Tertium testimonium dicit esse apud *Aug. l. 12. de Trin. c. 58.* Fractū panē distribuebat; ubi cūm reperisse se putet, nō quod pueri in faba, Stentorea voce exclamat: *Viden' aliud esse frangi, aliud distribui.* R. I. Quis aberrat à janua? allegas locum ex *Aug. l. 12. de Trin. c. 58.* at in toto illo lib. ultra 15. capita nō habentur, nec ea verba apud August. ullibi leguntur. Meritò te ridebunt cordati, si in typographū culpam transferas. Nam infra producis *Nazi. serm. Epitaphio:* qui apud eum autorem non extat, sermonem quidem scripsit *de sanctis luminibus Epiphaniarum,* sed in eo ne vestigium ullius analogiæ apparet. Paulò post dictum Cypriani citas ex *l. 2. epist. 2.* cūm tamen extet *epist. 3.* quæ est numero 63. & verba ejus ita mutilas ita truncas, ut me tui pigeat, pudeat, pœnitat. Sic loquitur *Cypr.* Quemadmodum *vino isto communi* mens solvitur, & anima relaxatur, & tristitia omnis exponitur: ita epoto sanguine Domini *& poculo salutari,* exponatur memoria veteris hominis, *& fiat oblivio cōversationis pristinae secularis,* & mœstū pectus ac tri-

ac triste, quod prius peccatis angentibus premebatur, divinæ indulgentiæ lætitia resolvatur. Quomodo tu recitas? *Quemadmodum vino mens solvitur, & anima relaxatur, & tristitia omnis exponitur, ita & potatō sanguine Domini exponitur memoria veteris hominis, & mœstum pectus ac triste, quod prius peccatis angentibus premebatur, divinæ indulgentiæ lætitia resolvitur.* Quod Cyprianus dicit de vino communi, tu dicis de vino Cœnæ, &c. ut probes analogiam. Quàm callidè! II. Ut autem videas, nos lucem non fugere, aut verborum magis volentes quàm veritatis discipulos esse quod Sophistarum est, *fron. l. 3. cap. 40.* En tibi verum horum verborum autorem, qui non est August. in libris de Trinit. ut tu putas, sed *Cyrellus tom. 1. in Job. l. 12. c. 58.* ubi sic loquitur: Quod autem mysticæ benedictionis communio resurrectionis Christi quædam confessio est, verbis ipsius probatur: *fractum enim panem distribuebat*, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur in remissionem peccatorum: hoc facite in mei commemorationem, &c. Loquitur hîc Cyrellus de pane, quem Christus in ea nocte, qua traditus est, fregit, & frangendo distribuit. Hinc autem necessitas ejusmodi fractionis non inferatur. Quod enim panem ita fregit Christus. i. ex accidente est, quia non nisi magnus erat appositus, isq; azymus, & ex epulo agni paschalis

schalis reliquus. 2. Non propter significacionem, sed propter distributionem fregit, *August. epist. 59. ad Paulinum.* 3. Quod si eodem modo hodieq; panis frangi debet, quia Christus sic fregit, ergo & calix miscendus, secundum *Cyprian. lib. 2. epist. 3.* & circumferendus est, *Cyrill. tom. 1. in Joh. l. 4. cap. 14.* imò & Cœna celebranda est vespere, quæ celebratio etiam mystica erit, *Chrysof. in 1. Cor. II. tom. 4. hom. 27. Cyprian. l. 2. epist. 3.* & in domo privata, quæ fuit Johannis Evangelistæ, *Niceph. lib. 1. c. 28.* discumbendum erit in thoris, utendum cum Christo vino rubro, *Luther. in lib. quod verba firmiter perstent, pag. 20. E. L. & pane azymo, &c.* (Argumentum est petitum ex part. 1. Lutheri contra cœlestes Prophet. pag. 36. §. 3. E. L.) III. Itaq; non opus erat exclamatione adversarii: Quis enim negat, aliud esse frangi, aliud distribui? *vid. disp. 1. th. 17.* Hoc tantum quæritur, an frangere exponi possit per distribuere, quod nos affirmamus? adversarius aliud esse dicit frangi aliud distribui. Qui sophisticè loquitur, odibilis est. *August. lib. 2. de doct. Christ. c. 31.*

12. Quartum est ex Cyrillo (tom. 1.) in *Joh. lib. 4. cap. 14. Christus discipulis fragmenta panis dedit.* I. Integer locus sic habet: Sic credentibus *discipulis fragmenta panis dedit.* dicens: Accipite & manducate, hoc est corpus meum: calicem etiam *circumtulit*, dicens:
Bibite

Bibite ex hoc omnes, hic est calix sanguinis mei, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Hic si concludere vult disputator panem comminuendum esse; eadem necessitatis evidentia calix ipsi circumferendus est. II. vide thesin II. III. Et nos ad exemplum Christi communicantibus panis fragmenta damus. IV. Non probatur hoc dicto, frangere aliud esse quod distribuere. V. Etiam integer panis, frumētum, cibi, fragmenta vocantur in Scriptura, ut ex Hebræa voce Scheber, & Græca Klasina dicit *Luther. in Confessione majori, p. 118. §. 2. E. L.* Quapropter vocula *fragmenta panis* non probant comminutionem aut divisionem in particulas plures. VI. Eodem modo per strophas verborum, *fractus, confractus, fragmenta*, agit Antagonista, quo Pontificii, qui ubicunq; vocabulum ignis aut traditionis inveniunt, ignem suum purgatorium afflare, & traditiones stabilire volunt. Ignoratio est Elenchi. VII. Iterum culicem percolat & camelum deglutit, dum undecunq; testimonia corradit, ut fractionem in propria significatione captet, & interim in verbis testamenti ipsum Sacramenti nucleū exhibentibus mirabilia troporum involucra quærit, ne corpus Christi in Cæna præsens constituere cogatur, omnibus in locis, in quibus ea peragitur, quod id sit contra corporis naturam: *Calvin. l. 4. instit. c. 17.* Ecce qualibus argu-

argumentis omnipotentiae Dei humana contradicit infirmitas, quam possidet vanitas, *Aug. lib. 22. de civit. Dei, c. 11.* Deus melior est quam natura, habens apud semetipsum velle, quoniam bonus est, & posse, quoniam potens est, & perficere, quoniam dives & perfectus est, *Iren. lib. 2. cap. 52.*

13. Quinto loco affert testimonium ex *Dionys, Eccles. Hierarch. c. 3.* Ad quod I. idem respondeo quod ad priora. II. Tam lubricus in eo est glossator, ut vix verba Dionysii à glossis intercalaribus discernere possis. Sic enim sonant nuda verba, c. 3. part. 3. *Pontifex operum panem & individuum aperit, & in frusta concidit.* III. Dionysio prorsus nihil est commercii cum fractione panis Calvinistica. Nam I. de tali fractione loquitur, quæ res fuit adia-phora. II. quæ tempori erat accommodata, cum adhuc magnum aliquod libum mensæ apponebatur. At Calvinistica fractio *Theodoro Beza Epist. 2.* tam necessaria est & tanti momenti, ut qui illam non adhibent, *Christum quodammodo non immolatum, neque veterem illa victimarum legalium dissectione adumbratum, sed totidem penè Christos, quot singulares panes tradere penè videantur.* III. Fractio de qua loquuntur Dionysius & reliqui patres facta est secundum communem consuetudinem Christi, qui eam adhibuit, quoties mensæ accumberet, ut *Matt. 14. & 15. Luc. 24.*
Calvi.

Calvinistica autem fractio est instar alicujus solennitatis, in qua panis à pastore, mactatore & crucifixo Christi (*nam adversario fractio est mactatio, crucifixio, &c.*) elevatur, ut fidelis anima sibi ab oculis ponat nervorum Christi lacerationem, resolutionem virium, attritionem, contritionem, contusionem membrorum, dissectionem ossium, adaperitionem lateris, fossionem pedum ac manuum, crucifixionem & mactationem, divulsionem & separationem animae à corpore, &c. IV. Fractio Dionysii & reliquorum patrum unicum finem habebat distributionem, *August. epist. 59. ad Paulum.* Fractio Calvinistica pro fine habet applicationem communis corporis Christi, adhortationem ad Christianam charitatem, fractionem cordis, significationem & repræsentationem passionis Christi, ostensionem consensus cum aliis Calvinistis, & id genus alia, quæ ex Anhalдинis senilis & clinactericus scriptor nuperrimè despumavit. V. Fractio Dionysii & cæterorum usurpata fuit sine scandalo: Calvinistica non item. VI. Fractio Dionysii externa circumstantia fuit principalis actionis; Calvinistica pars integralis aut essentialis constituitur in actione sacramentali. VII. Fractio Dionysii *ἡ πόδα* sequebatur Christi & Apostolorum actionem: Calvinistica nihil minùs, &c. O disparem paritatem!

14. Dictum Chrysoftomi super locum:
 Panis quem frangimus, extat. tom. 4. in cap. 10.
 epist. 1. Cor. hom. 24. Responsio autem I. eadem
 est cum superioribus. II. Non probat frange-
 re idem non esse quod distribuere. III. Non
 satis bona fide citatur. IV. Disputatoris opi-
 nionem de analogia convellit. Si enim cor-
 pus Christi in cruce fractum minimè est, sed
 omninò contrà, ut ait Chrysoft. quomodo ana-
 logia est inter fractum panem in Cæna &
 fractum corpus Christi in cruce? V. Chry-
 soft. dicto loco panem appellat corpus Chri-
 sti, cum August. lib. 3. de Trinit. c. 5. Iren. lib. 4.
 cap. 57. Atqui ab hac appellatione abhorret
 Antagonista, non aliter ac Pythagoras ab esu
 fabarum, nisi propria vineta cædere, & suum
 syllogismum negare velit: *Corpus Christi fuit
 pro nobis crucifixum. Panis Cænae non fuit pro nobis
 crucifixus. Ergo panis Cænae non est corpus Chri-
 sti.* VI. Chrysoftomus hoc ipso loco fra-
 ctionem corporis Christi exegeticè dicit di-
 stributionem: *Et sup. cap. 11. 1. Cor. hom. 27. fol.
 539. ita loquitur: Christus omnibus æqualiter
 dedit, dicens: Accipite, manducate. Ille cor-
 pus æqualiter dedit: tu autem quod commu-
 ne est, non communicas. Etenim pro omnibus
 pariter fractum est, & æqua portione distribu-
 tum. Eat nunc adversarius disputat. suæ mem-
 bro 2. & dicat: Corpus Domini quidè pro me pa-
 ti & occidi: sed non pro me distribui, fidem Chri-
 stianam*

D

stianam

*stianam esse, contra Lutherum part. 2. contra
 caelest. Prophet. pag. 91. §. 2. & 3. VII. Ex loco
 Chrysoptomi sic urgeo Antagonistam: Cor-
 pus Christi pro nobis fuit fractum aut in cru-
 ce, aut in Cœna. In cruce minimè, sed omninè
 contra, ait Chrysoft. Ergo in oblatione, hoc
 est, ut exponit adversarius in Cœna, hoc est,
 sacrificio Eucharistico representante sacrificium
 propitiatorium in cruce. Si igitur in Cœna,
 quæro: I. quomodo Euangelistæ dicant,
 quod pro vobis frangeretur, effundetur, ubi di-
 gitum intendunt ad ipsum crucem? vide Che-
 mnit. part. 2. Exam. Concil. Trident. Bellarm.
 lib. 1. de Missa, cap. 12. II. Qualis sit analogia
 inter fractionem panis in Cœna, & inter fra-
 ctionem corporis in cruce, quæ in Cœna est,
 in cruce non est? III. Utrum corpus in Cœ-
 na frangatur propriè, in cruce verò Tropicè?
 an contra? Utrum affirmes, fractio propria
 significabit Tropicam, aut Tropica propriâ,
 quod Luthero absurdum est. Quid? nulla fra-
 ctio propria de corpore Christi dici potest.
 Dicam amplius: Si intelligitur fractio impro-
 pria, ergo per eam vel intelligitur passio vel
 distributio. Non passio: Edissere enim nobis,
 quæ analogia sit inter panem & passum Chri-
 sti corpus. Num quemadmodum panis pati-
 tur quando frangitur, ita quoque corpus
 Christi patitur dum frangitur? An verò di-
 stributio? Atqui corpus Christi pro nobis distri-*
buitur.

bui, disputator fidem Christianam esse negat. Cum falsum est quod consequitur, necesse est, ut falsum sit quod præcedit, ait *August. lib. 2. de doct. c. 32.*

15. Allegat etiam Cyprianum *lib. 2. Epist. 4.* de oratione Dominica: *Fide sincera panem sanctum frangimus & partimur.* I. Misere me hominis patrum dicta hinc inde corradentis, aut ex indicibus colligentis! Quis unquam vidit epistolam Cypriani de oratione Dominica? Quis legit hæc verba *lib. 2. Epist. 4.* Accusarem Typographum, si extarent in *serm. 6.* quem de *Dominica oratione* scripsit Doctor suavissimus & Martyr beatissimus, ut appellatur ab *August. l. 2. de doct. Christ. c. 40.* Sed nihil ibi. II. Frustra hoc dictum nobis opponitur: Nam fide sincera, quæ verbo Dei innititur, nos quoq; panem sanctum, hoc est, non communem, sed benedictione sacratum *Cyprian. in serm. de Cæna Dom. fol. 444. & 445. Iren. l. 4. c. 34. August. lib. 3. de Trinit. c. 4.* frangimus, & inter communicantes partimur. III. Inveni hæc verba apud Cyprianum in *serm. de Cæna*, & explico de fructu, usu & distributione, &c. Sic enim ait Cyprianus. Hæc quoties agimus non dentes ad mordendum acuimus, sed fide sincera panem sanctum frangimus & partimur. IV. Non igitur hinc probatur frangere aliud esse quam distribuere.

16. Sed & *Erasmus* sistitur, & post eum Lutherus tanquam lumen post laternam, quòd dicat ille in Paraphrasi Actorum: *Ex fracto pane cuiq; datam esse particulam.* R. I. Ita habent verba *Erasmi*, Act. 2. Frangebatur (distribuebatur) panis, & ex eo (pane) cuiq; dabatur particula, &c. Num hinc probabis frangere exponi non posse per distribuere? II. Num probavit *Erasmus* fractionem panis Calvinisticam? III. frangere idem esse quod distribuere, patet ex Act. 2. vers. 45. & 46. &c.

17. Deniq; Lutherum in theatrum producit, quòd tom. 7. *Witteberg.* dicat: *Frangere nihil aliud esse, quam panem benedictum in multas partes dividere, dare, in partes distribuere.* R. I. Si *Luthero* placuit fractio panis Calvinistica, cur eam *Wittebergæ* non introduxit? cur nulli hominum approbandam suavit? II. Lutherum fractionem intelligere ejusmodi, qua fit distributio inter communicantes, tam clarum est, ut solis radio scriptum videri possit, & quidem ex his ipsis verbis, si Germanicè recitentur. III. Elenchus est à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Nam opponit hæc verba Pontificiis, qui hostiam frangunt, sed non distribuunt. Hos igitur urget fractione, tum loco allegato, tum in lib. de Missa privata. IV. Audiamus Lutherum ex aliis etiam locis, & responsio erit luculen-

luculenta: Ita ait Tom. 6. Germ. Jehn. fol. 102. facie 2. §. 2. Unser Pfarherr / Bischoff oder Diener singet öffentlich vñnd deutlich die Ordnung Christi im Abendmal eyngefest / nimbt das Brodt vñnd Wein / danckt / theilt's auß (frangit) vñnd gibts in Krafft der Wort Christi / das ist mein Leib / das ist mein Blut / solches thut / zc. vñnd andern / zc. Viden' frangere esse distribuere? In lib. contra cœlest. Prophet. part. 2. pag. 68. fac. 2. §. 2. E. L. nō tam nostram sententiam defendit, quā adversariorum refutat: sic inquit: Merck zum andern / daß Paulus ja rede vom Brodt im Sacrament / welches Christus brach / vñnd hernachmals die Aposteln auch brachen / welches brechen nichts anders ist dann Stück machen (dividere) oder außtheilen / (distribuere) auff Hebreische weiß / El. 58. Brich dem Hungrigen dein Brodt / Thren. 4. Die Jungen hieschen Brod / vñnd niemandt brachs ihn / zc. Auff daß wir hie nicht abermals von den Kottengeistern gescholten werden / als Christus Verrähter / daß wirs nicht mit Fingern brocken oder brechen / sondern viel Partickeln oder Hostien nemen / daß das heissen sie brechen / vñnd haben nit genug daran / daß es sonsten zu Stücken gemacht wirdt / es geschehe mit Hand / Messer / oder wie es wölle / wie es in Hebreischer Weise gebrochen heisset. Locus clarissimus!

In Confess. majori, pag. 72. So bleiben wir bey der Schrifft / das Brodbrechen heisset Brodt

D 3 auß.

auftheilen / wie ich hie beweiset habe / wider die
Himmlichen Propheten/ &c.

Eodem modo negat corpus frangi idem
esse quod pati & occidi, part. 2. contra cœlest.
Prophet. pag. 91. So erzwingt der Text/ daß diß
Brod sey der Leib der gebrochen wirdt / das kurtz
vmb mit Gewalt diß brechen muß bleiben im
Abendmal vnd vber Tisch im Essen/ vnd sey
nichts anders / wie ich droben gesagt habe / dann
daß der Leib außgetheilt wirdt in die Gemeine/
wie man sonst Brodt bricht in die Gemeine/ das
nicht noth ist hie zuträumen/ wie Christus Leib im
Brod geradbrochen werde / sondern ist genug/
daß er gebrochen/ das ist/ außgetheilt wirdt in al-
len Stücken vnd Partickeln des Brodts ganz
vnd vollkommen. Also stehet der Spruch hie fest/
daß Christus Leib vnd Brodt eins seynd/ vnd wo
das gebrochen wirdt// daß eben so viel sey/ als den
Leib Christi brechen oder außtheilen/ daß es vnter
viel werde außgetheilt vnd empfangen/ &c.

In Confell. Majori, pag. 71. Das gebrochen
hie so viel heisse als gecreuziget/ sagen sie wol auß
ihrem Kopff / aber sie können eben so wenig be-
weisen/ als sie die Gleichnuß (Analogiam) im
Brod gegen dem Leib Christi können beweisen/
vnd ist eytel vnnütz Geschweß / ignotum per
ignotum, &c.

Et pag. 72. Vnd ist ganz freuel geredt/ so je-
mandt ohn Grund der Schrift wolt brechen so
viel heissen als creuzigen oder tödten. Darvmb
ist ein

Istts ein lauter Gedicht/das die Schwermer sich
hie damit wollen stücken.

Et rursus pag. 118. Der für euch gebrochen
wirdt/darvon haben wir droben viel gesagt / das
die Schrift nicht leiden kan / das brechen solte
Christus leyden heissen. Die Schwermer mös
gens sagen/wie sie anders mehr sagen: Aber nim
mermehr beweisen / dann wir müssen brechen nit
deuten noch brauchen nach vnserm Dunckel/
sondern nach der Schrift Brauch. Nun heisset
ja brechen in der Schrift/sonderlich / wo es vom
Brodt oder Essen gesagt wirdt/so viel als stücken
oder auftheilen/rc. Plura brevitatis causa omit-
to: Ex his comprobatur *expositio hujus, quod
pro vobis frangitur, ista: Quod pro vobis distri-
buitur, quæ adversario est improbabilis, & con-
tra fidem Christianam, Eho!*

18. Pro coronide appono refutationem
ἀναλογίας inter fractionem panis & fractio-
nem corporis Christi ex sola Confess. Majori,
pag. 71. & seqq. Hie werden die Schwermer
abermal ein außflucht suchen vnd fürgeben / S.
Paulus I. Cor. II. sagt in seinem Text also: Das
ist mein Leib / der für euch gebrochen wirdt: Da
stehet die Gleichnuß vnd Deutung im brechen/
das gleich wie das Brodt vber Tisch gebrochen
wirdt / also ist Christus auch am Creuz für vns
gemartert: quæ objectio tota est nostri adver-
sarii: Respondet autem Luthetus I. Ignotum
probare per ignotum: Das gebrochen allhie so

viel heisse als gecreuziget/sagen sie wol auß ihrem
 Kopff/rc. Vide thesin 17. II. Hac interpreta-
 tione tropum à corpore rursum in aliud vo-
 cabulum transferri. Diweil die Schwermer
 nicht sehen den Tropum in diese Wort/Dienen/
 Brechen/Geben/Brod/Zünger / Darvmb mög-
 gen sie auch nicht hernacher das brechen zum
 Tropo machen/ da Paulus sagt / das ist mein
 Leib für Euch gebrochen. Dann es eben von dem-
 selbigen brechen gesagt ist / davon er droben sagt:
 Er nam das Brodt vnd brachs/ bis daß sie be-
 weisen gewaltiglich/ daß ein ander brechen sey. In
 des sagen wir daß einerley brechen sey an beyden
 Orten/ vnd möge nicht Christus Creuzigen oder
 Lenden dardurch verstanden werden. Damit
 Christus hat sich nit selbst gefangen/ gecreuziget/
 noch getötet/wie es doch sein müßte/wañ brechen
 so viel als tödten solt heissen/ dann er das Brodt
 ja selbst nam/vnd brachs mit seinen eygnen Hän-
 den. Refutatur hic totum membrum 2. adver-
 sarii in quo statuit *fractionem panis in Cæna es-
 se representative seu sacramentaliter fractionem,
 id est, immolationem seu crucifixionem corporis
 Domini, hoc est, ut postea exponit, ut panis
 frangatur, ita à Paulo dici corpus Christi pro no-
 bis frangi propter analogiam, quam tamen uno
 ictu Lutherus disjicit. III. Scripturam per
 fractionem intelligere distributionem. Vide
 thesin 17. IV. Scripturam prorsus negare
 vocabulum fractionis de passione Christi:*

Ich


Ich wil schweigen/ daß Johannes das Wort
 brechen ganz vnd gar verneynet vom Leiden
 Christi/da er schreibt: Daß an Christo auch nicht
 ein Beyn zerbrochen sey/auff daß die Schrift er-
 füllet würde: Ihr sollet im kein Beyn zerbrechen/
 2c. Darvmb leydet die Schrift nicht / daß man
 brechen auff Christus Leiden oder sterben reyme.
 Solide hinc refutatur disputator, quādo ita phi-
 losophatur: *Quomodo aut dicitur corpus Christi*
frangi, vel Metaphoricè in se: vel, symbolicè in pa-
ne ut subiecto? Si Metaphoricè, necesse est, ut sit
ἀναλογία inter fractionem signi & fractionem rei
signata, &c. Inutiliter signa interpretari malè
 vagantis erroris est. August. lib. 3. de doctrina
 Christ. cap. 9. V. Si analogia sit in prima par-
 te Cœnæ, in pane & corpore, omninò etiam
 monstrandam esse in secunda, in calice & san-
 guine Christi: Ich seze nun gleich / daß durchs
 brechen sey das Brod dem gecreuzigten Leib Chris-
 sti gleich/als nit ist/wie wils aber im andern Theil
 werden mit dem Becher oder Kelch Weins?
 Wie wil hie der Wein ein Gleichnuß seyn des
 vergossenen Bluts Christi für unsere Sünde?
 Dann trincken ist ein Gleichnuß nicht des ver-
 gossenen Bluts Christi/ sondern des Geistlichen
 trinckens/das ist/ des Glaubens/wie sie selbst leho-
 ren. Hie stehet doch der arme Becher Weins so
 bloß in allen Schanden / daß er nicht schändli-
 cher stehen könnte / dann er doch nicht einer ain
 groß Gleichnuß an sich hat / vnd soll doch eine
 D 5 Gleich

Gleichnuß an sich hat / vnd soll doch eine Gleich-
 nuß seyn vnd heissen des Bluts Christi für vns
 vergossen. Wo bistu nun S. Paule? daß du auch
 hettest vom Kelch gesagt / wie Christo die Hände
 weren zittern gewest / vnd hette den Kelch ver-
 schüt / so könten wir arme Schwermer / vns doch
 ein weil fristen mit demselbigen verschütten / wie
 wir mit dem brechen vns jetzt ein stunde fristen /
 Ey daß S. Johannes / da er Christo in den Ar-
 men faß / etwa mit dem Kopff hette Christum an
 den Ellbogen gestossen / da er den Becher nam
 vñ den Jüngern gab / were nur ein Tröpflein ver-
 schüt / so hetten wir genug vnd könten sagen: Siehe
 da / s Wein ist dem vergossen Blut Christi gleich /
 indem / daß er verschütet ward. Ob nun solches
 verschütten nicht geschicht etwa vns zu Erlösung
 oder Ruß / vnd damit dem Blut Christi im
 Hauptstück der Gleichnuß nicht gleich ist / wie die
 Wort im Abendmal fordern / so geschehe sie doch
 vns armen Schwermern zu Erlösung von die-
 ser grossen Noth vnd Schande / daß wir sonst
 kein Gleichnuß können anzeigen / vnd haben doch
 so lange her / so weit vnd ferne vnd mit so viel
 Büchern außgeschrien / daß der Wein sey gleich
 vnd eine Figur des Bluts Christi / für vns ver-
 gossen zur Vergebung der Sünden / vnd findet
 sich nun nicht ein Titul solcher Gleichnuß. In fu-
 mos & ventos hie dissipat Lutherus eam ad-
 versarii nostri ratiunculam, in qua probare
 contendit, *vinum effusum in calice esse effusum*
sanguini-

Sanguinem Christi in cruce, hoc est, ἄποτόμος negat convenientiam analogicam inter panem in mensa propriis Christi manibus fractum & corpus mortuum, seu quod manibus militum corpus tradidit vulnerandum, inter divisum poculum & effusum sanguinem, quàm infra Ambrosio quoque affricat disputator, qua fide, ipse viderit.

¶ nunc, & tecum dic consentire Lutherum!

19. Restant ea testimonia Ecclesiæ Doctorum, quæ in secundo & tertio membro proponit adversarius: quoniam autem nunc tempore excludimur, alia occasione respondebitur fusiùs, si modo Deus otium & vitam largitus fuerit. Melius enim est conferre quàm legere. *Isidor. lib. 3. sentent. c. 14.* ita tamen ut ne simus in disputationibus prompti, & in precationibus pigri, *August. de bono persever. c. 24.* Nec est, ut ob id quisquam nos ludos faciat, odium, invidiam, & quid non? miniteretur. Jubet enim Apostolus redarguere contradicentes, contra quos victoria est sententiæ eorum manifestatio, *Iren. lib. 1. cap. 35.* Quòd si de civitate depellent & effugabunt, nunquid & de cœlesti urbe Hierusalem, quæ est mater omnium nostrorum, depellere nos poterunt vel effugare? *Nazianz. in serm. de semetipso in agro reverso: & exul non erit, qui Deum in mente habebit: quoniam Domini est terra & plenitudo ejus. In pass. Cyp. Luth.*




Lutherus Tom. 6. German. Jhenensi
in Epist. ad Francofurd. Anno 33.
fol. 107.

Ich hoffe aber nicht / daß solche Christen oder
Prediger sich rühmen oder fürgeben / es habe der
Luther selbst solches gerathen vnd gelehret / dann
wo ich deß gewar vnd gewiß würde / daß sie solch
Gifft auß meinen Büchern sögen / vnd die
schuldte auff mich legten / müßte mich die Mühe
nicht verdriessen / ihnen die Augen ein wenig zu
schewren / vnd den Brill auff die Nasen setzen /
vnd heissen meine Bücher nicht durch ein gemalt
Glas lesen. Dann ich weuß dem Teuffel vnd sei-
nen Aposteln das wol zu getrawen / wo sie können
meine Wort verkehren / vnd darnach mit mei-
nem Namen die Leute verführen / daß sie es an
gutem willen nicht fehlen lassen / wie etliche dersel-
ben Kotte mir oft gethan / vnd meine Wort auff
ihre meynung gezogen / vnd zu lest einen Ser-
mon (von mir gepredigt / ehe dann der Sacra-
menter Kotte gehöret / gedacht / oder genennet
war) widerumb liessen drucken / vnd weil sie die
Wort (Brod vnd Wein) drinnen funden / solte
der Luther schlecht mit ihnen geschwermet ha-
ben / vnangesehen / daß der Sermon selbst sich
gnugsam verantwortet.

In Confess. Maj. pag. 138. E. L.

Dann ich kenne den Satan / von Gottes
Gna

Gnaden ein groß Theyl / kan er Gottes Wort
vnd Schrift verkehren vnd verwirren / was
solte er nicht thun mit meinen oder eines andern
Worten?



DISPUTATIO III.

DE ANALOGIA.

Præs. M. Casparo Finckio, Philos. Profess.
Resp. Nicolao Sebastiano Gompio, Wisbad.

THESIS PRIMA.

Duo tantum Novi Testamenti Sacra-
menta ex fundamentis Scripturæ agno-
scit *August. lib. 3. de doct. Christ. cap. 9. & epist.*
118. cap. 1. eaq; factu facilima, at intellectu au-
*gustissima, lib. 3. de doct. Christ. cap. 3. Bap-
tismum scilicet, qui aliàs χείρισμα, φωτισμός,*
τέλειον, λῆτρον, θεοχρησία, φυλακτήριον, vocatur
à Nazianzeno in orat. de baptismo, Clement.
lib. 1. pedagog. cap. 6. Dionys. de Eccles. hierarch. c. 2.
Damasc. lib. 4. c. 10. Et Cœnam Dominicam,
quam Sacramentum pietatis, signum unita-
tis, vinculum charitatis vocat August. tractat.
16. in Iohan.

2. At me Christe, quot & quàm varii sunt
de his summis fidei nostræ capitibus opinio-
num

num quasi cinni! hydria Lernæa tot capitum
 non fuit ferax, quot Calvinisticū lirippium,
 & Cinglianum cerebellum, monstrorum
 dogmatum. Tot ferè fides existunt, quot vo-
 luntates, & tot nobis doctrinæ sunt quot
 mores: & tot causæ blasphemiarum pullu-
 lant, quot vitia sunt, dum aut ita fides scribun-
 tur ut volumus, aut ita ut volumus intelli-
 guntur. *Hilar. in lib. ad Constant. August. Li-*
bens omitto dicere de substantialibus, Sacra-
mentarii isti quas turbas, vel titivillitio æsti-
mandas, dederint strabis verborum glosse-
maticis, quos viros tribunitia sua lingua flagel-
laverint, occupati circa sola adiaphora, toti
orbi manifestum est: ut meritò exclamare
possis cum sanctissimo illo Polycarpo, disci-
pulo & auditore Johannis Evangelistæ: In
quæ me Deus bone servasti tempora! Euseb.
lib. 5. hist. Eccles. c. 20. Iren. lib. 2. cap. 3.

3. Profectò orco profecti esse videntur
 omnes Diaboli, scientes quòd modicum
 tempus habeant. *Apocal. 12. circumeuntes*
tanquam leones rugientes, 1. Pet. 5. tanquam
venatores, Psal. 91. exploratores, Job. 1. scilicet
ut nos devorent, 1. Pet. 5. ex corde dimoveant
verbum Dei, Luc. 8. nosq; cribrent tanquam
tritium, Luc. 22. Hinc aded fit ut pauci sal-
ventur, Matth. 7. Luc. 13. & filius hominis cir-
ca finem mundi vix reperturus sit fidem &
charitatem in terris, Matth. 24. Luc. 18.

4. Veruntamen frendeat licet Satanas, fremat & gemat ortus & orcus, in choro & foro scurrentur valgis saviis, nigro supercilio nos aspiciant hæretici, à partibus nostris Deus est, qui facit voluntatem timentium nomen ejus, *Pf. 145*. Et quandoquidem ille æternum manet, *Psal. 9*. idè manet & ejus voluntas, *Esa. 46*. ejus verbum, *Esa. 40*. verbi prædicatores, *2. Cor. 5*. verbi auditores, *1. Joh. 3*. verbi susceptores, *Esa. 55*. & consequenter Ecclesia, *Rom. 11*. contra omnes portas inferorum, *Matth. 16*. Quemadmodum sol creatura Dei in toto mundo unus & idem est, sic etiam prædicatio veritatis ubique lucet, *Iren. lib. 1. cap. 3*.

5. Nos interim faciamus id, quod nostrarum est partium: semper homo discat, Deus doceat, *Iren. lib. 2. cap. 47*. Credamus & loquamur cum Psalte, *Psal. 116*. Frustra enim times ô homo profiteri quod credis: aut frustra credis, si ita non profiteris, *Nazianz. de fide*. Quasi in procinctu & acie stemus semper ad pugnam: vult nos loco movere hostis, & de gradu decedere: sed solidanda sunt vestigia, *Hieron. ad Demet. Εὐν τὸ δικάσιον ἢ μετ' ἐξέσι φρονεῖν*, ait *Sophocles*: pergamus in apricum & lucem proferre futilitates adversarii nostri Apologetici. Nam adversus hæreticos victoria est sententiæ eorum manifestatio, *Iren. l. 1. cap. 35*. Eorum sententias prodidisse, superasse scilicet est, *Hieron. ad Ctesiph:* 6.

6. Cum autem & *de vō mē* & nullitatem panis & potus Americani ostenderimus *Prodromi part. 1. à pag. 5. ad 18.* analogiam item Cinglianam, quam ex rationali non Spiritus sancti, sed ejus de quo duri Poetæ sic duriter cecinere: *Durus Durandus jacet hoc sub marmore duro, An sit salvandus, ego nescio, nec ego curo,* hauserat Antagonista, profligaverimus, nihil nunc restat, quam ut pariter fictam panis fragii necessitatem refellamus, sicut *pag. 67. Prodromi* promissimus. Sic igitur quæremus tanquam inventuri, & sic inveniemus tanquam quæsituri, ut monet *Augustinus lib. 9. de Trinit. c. 1.* Et diligentia & pietas necessaria est: altera ut scientes inveniamus: altera ut scire queamus. *August. lib. 1. de morib. Eccl. Cathol. c. 1.* operamq; dabimus, ut ne magis verborum, quam rerum studiosi videri possimus. Nam non in verbis, sed in rebus veritas sita est, *Nazianz. lib. 3. de Theolog.* Et bonorum ingeniorum insignis est indoles in verbis verum amare, non verba, *August. lib. 4. de doctr. Christ. c. 13.* Philosophia ipsa non est populare artificium nec ostentationi paratum: in REBUS, non in verbis. *Lipsius lib. 1. manu- duct. dissert. 15. ex Seneca.*

7. Atque ut exordiamur: *Ad tertiam partem,* inquit adversarius, *transibimus: ubi statim in limine non fringille, sed cuculi alicuius cantum se audire dicit.* Salve Thales, inquit *Ris- dens*

dens *Plantinus act. 4. scen. 3. ἀνθρώπου ὁ θαλῆς*,
 ut est in *Avibus Aristophanis*, id est, *Sehet als
 le den schönen Mann an/* qui pro fractione pa-
 nis velis equisq; decertat. Vocitat me *cucul-
 lum*, (id est, in re parum honesta deprehen-
 sum; talis enim etiam cuculus habetur, teste
*Erasmo in Adagiis, & interpp. ad Horat. serm. 1.
 7.*) At cum ille nihil nisi centones farcire, &
ἀρχαῖα λέγειν didicerit, quid si vocemus ipsum
 bucconem garrulum, qualis est qui ceteros
 oris loquacitate, non sensu, exuperat, teste
Isidoro lib. 10. Verum mihi tranquillitate con-
 scientiæ nihil excogitari beatius potest, *cum
 August. lib. 1. de civit Dei.* Regium est, cum be-
 ne meritis sis, malè audire, dicebat olim *Ale-
 xander Magnus.* Ista omnia si & nos in vos di-
 camus, nonne qui vos audierit, insanos po-
 tius litigatores, quam Christianos disputato-
 res, si ipse sanus est, iudicabit? Non ergo red-
 dimus maledictum pro maledicto. Servum
 enim Domini non oportet litigare, sed esse
 mitem ad omnes, docibilem, in modestia
 corripientem diversa sentientes, *August. con-
 tra Petil.* Et nemo potest philosophari nisi se-
 quam maxime fieri potest ab affectibus se-
 jungat. *Plato in Phedone.* Interim pro hoc
 convitio repono verba Augustini: Disputa-
 re de eo quod Ecclesia per totum orbem ser-
 vat, insolentissima est insania, *epist. 118.*

8. Porro negavi artoclastas & iconocla-

E

stas

stas Calvinistas expressum mandatum habere, quo suum illud significativum panisfragiū evincant. Sed non-Brentius (quicumq; ille sit) verba profert sine penu & pecunia, atq; scire me jubet, *Dominum non minùs fractionem, quam benedictionem & distributionem sedulo præcepisse, dicendo: Hoc facite.* Contra: 1. *Nil agit interpres, litem qui lite resolvit.* Horat. 2. De hoc Christi præcepto paulò post ex professo agemus. 3. Nunc tantùm repeto distinctionem inter fractionem, benedictionem, & modum fractionis, distributionis & benedictionis: *In Form der Dancksagung / in weise des nemens vñnd Außtheilung des Brots / gebrochen oder ungebrochen / mit oder ohne die Handt genommen / hat die Christliche Kirche ihre besondere Freyheit / inquit Catechis. Cassel. quæst. 7.* 4. Lutheri sententia nobis allubescit, quia tota facit à nobis, ut videre est ex *disputat. 2. & Prodromo.* Non opus igitur est, ut ad castra Calvinistica, à quibus longissimo intervallo abest Lutherus, transeamus, quod hic sollicitè petit adversarius. Si separaveris pretiosum à vili, quasi os meum eris: *convertentur ipsi ad te, et tu non convertèris ad eos, dicit Dominus, Jerem. 18. v. 19.*

9. Ad syllogismum primarium: *Ministri & legati est facere omnia ex præscripto & mandato Domini. Christus nos iussit frangere panem. Ergo. Respondi tria: 1. Elenchum commit-*

ri à

ti à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. Quid ille? Pæana canit, quasi debellatum sit. *Εἶα, αὐ, αὐ!* Frisch auff/das Gott erbarm! Dictitat me *mutare genus prædicationis*. At 1. non intelligit, quid sit *mutare genus prædicationis*. Videat Keckermannum *lib. 3. Syst. Log. c. 5*. Ego enim non aliter assumpseram respondendo ad mandatum: Hoc facite, quàm in majori erat propositum. Hoc à me factitatum vix invenerit, si vel soli quærendum dederit.

2. Elenchum committit *ἐτεροζητήσεως*. Nam quæstio mea *in thes. 39*. erat: An vi hujus præcepti: Hoc facite, illud faciendum sit, quod Christus fecerit. Respondet ille: *nos non affirmamus omnia illa nobis mandari, quæ ipse Christus tantùm prestitit, sed quæ prestitit & præstanda nobis reliquit*. Was er gethan hat vnd gelehrt/das soltu thun vnd lehren/ &c. Applica hanc responsionem ad quæstionem, quæ erit *ὁμογενεία*, quæ *συνοφεία*? 3. Responsio hæc mea non erat, sed ipsius Lutheri. Hic enim *part. 1. contra cælest. Prophet. pag. 36. E. L.* sic scribit: Soll das gelten/das man so steiff dem Exempel Christi sol folgen/vnd nicht dem Wort allein/so wil folgen/das wir dis Abendmal nirgent müssen halten/dann zu Jerusalem im gepflasterten Saal. Dann so die eusserliche Geberde so streng sollen halten/müssen auch die eusserliche Stätt vnd Personen streng gehalten werden. Vnd wil dahin kommen/das dis Abendmal allein den

Jüngern zu halten gewesen sey/welchen ers allein
 dazumal befohl vnd zusprach. Vnd S. Paulus
 I. Cor. II. wirdt eytel Nartheit werden. Item:
 Weil wir nicht wissen/vnd der Text nicht gibt / ob
 es Rot oder Blanckwein gewesen/ob es Semeln
 oder Gerstenbrodt gewesen sey/werden wir in dem
 Zweifel dieweil müssen das Abendmal lassen
 anstehen/bis wirs gewis werden / das wir ja kein
 eusserlich ding vmb kein Haar anders machen/
 dann Christus Exempel fürtreget. Ja wir werden
 auch das Osterlamb auff Judisch zuvor essen.
 Item/weil der Text nicht gibt / obs Christus hab
 in die Hand genommen / vnd einem jeglichen
 selbst fürgelegt/müssen wir auch harren/bis kundt
 wirdt/auff das wirs nicht heben oder weben an-
 ders/dann Christus / dann wo wir das versehen/
 so ist der Rottengeist da / vnd schreyet / wir hen-
 cken/morden/vnd creuzigen Christum / so treffo-
 lich Ding ist hie/vnd so gar ligt hie die Seligkeit
 vergraben/viel mehr dann in Christus Wunden/
 Blut / Wort vnd Geyst. 4. Deliberet dispu-
 tator, an vinum etiam Coenae aqua diluere ve-
 lit. Nam eodem prorsus syllogismo, imò iis-
 dem penè verbis, quibus utitur, *Cyprianus*
 affirmativam tuetur. Quòd si, inquit, à Domi-
 no præcipitur, & ab Apostolo ejus hoc idem
 confirmatur & traditur, ut quotiescunq; bi-
 berimus, in commemorationem Domini
 hoc faciamus, quod fecit & dominus, inveni-
 mur non observari à nobis quod mandatum
 est,

est, nisi eadem quæ Dominus fecit, nos quoq; faciamus, & calicem pari ratione miscentes à divino magisterio non recedamus. Ab Evangelicis autem præceptis omninò recedendum enim non esse, & eadem quæ magister docuit & fecit, discipulos quoq; servare & facere debere constantius & fortius, alio in loco beatus Apostolus docet, dicens: Miror quoddam sicutam citò demutamini ab eo, qui vos vocavit in gratiam, ad aliud Evangelium, quod non est aliud, nisi sunt aliqui, qui vos turbant & volunt convertere Evangelium Christi. Sed licet vobis aut Angelus è cælo aliter annunciet, præterquam quod annuntiavimus vobis, anathema sit. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico: Si quis vobis annuntiaverit præterquam quod accepistis, anathema sit, *l. 2. epist. 3. 5.* Sublestum est quod asserit *se facere & docere quæ Christus fecerit & docuerit.* Nam Christus panem tantum fregit propter distributionem, non propter significationem, *August. Epist. 59. ad Paul.* usus fuit vino rubro, *Luther. in lib. quod verba firmiter persistent, p. 20.* calicem miscuit, *Cyprian. lib. 2. epist. 3. August. lib. 4. de doct. Christ. cap. 21.* circumtulit, *Cyrill. tom. 1. in Iohannem, lib. 4. cap. 14.* celebravit cœnam vesperi, quam celebrationem mysticam esse docent, *Chrysost. 1. Cor. II. tom. 4. homil. 27. Cyprian. lib. 2. epist. 3. in domo Iohannis Evangelistæ, Niceph. l. 1. c. 28.*

Ec. Et quidem hæc ipsa docuit ex hypothesi
 adversarii, ac *libelli Marpurgensis*, qui rō Hoc
 facite refert ad totam & omnē Christi actio-
 nem. 6. Ab ea fractione quam Christus ad-
 hibuit, ad nostram non est firma & necessaria
 sequela. Nam 1. Christus illam adhibuit
 pro more regionis Judaicæ: sicut & pro eo-
 dem more adhibuit vinum aquâ dilutum, se-
 cundum *Cyprian. lib. 2. epist. 3. Carthag. concil. 3.*
can. 24. Euseb. Emissen. serm. 5. de paschate: aut
 vinum rubrum secundum *Lutherum*. Et-
 enim sicut nos hodie panem cultris scindi-
 mus, ita Judæi panem comminuebant, 2. quia
 panis aderat magnus. 3. & jam antè non
 præparatus ad distributionem, qualis est no-
 ster. Quod si talis panis, qualis noster
 est, ad manum fuisset, num Christus eum
 repudiaturus fuisset? non opinor: quia post
 celebratum epulum paschale ea adhibuit,
 quæ erant in promptu. 7. Sed nec mandatum
 nos ferit. Nos enim panem etiam frangimus,
 quæ fractio finem & scopum Christi unicè
 assequitur. Sufficit autem si scopus Christi at-
 tingatur, ut suprâ falsus est adversarius, *pag. 13.*
thes. 10. 8. Illa non debemus mutare, quæ
 nobis mandata sunt præcisè. *Beza epist. 2. pag.*
25. In horum numero est fractio panis, fatente
Piscatore in commentar. super Matth. pag. 677.
678. Deniq; ne ea quidem quæ Christus fecit
 & præcepit, nobis simpliciter eodem planè
 mo-

modo facienda sunt. Itaq; major adversarii est limitanda. Nam jussit Christus nos baptizari; quo verbo certum est significari immersionem. Num igitur malè baptizantur, qui aqua tantùm injecta asperguntur, *Beza epist. 2. pag. 26. Et post pauca:* Ex his igitur, inquit, quæ fecit ipse Christus, & facienda nobis præcepit, quædam esse dico, quæ si quis ullo modo omittat, cœnam Domini dici non possit celebrare: alia verò quæ etiamsi non ea ipsa prorsus forma fiant, qua facta sint à Domino, tamen habita intentionis, quam vocant, ratione, ritè fieri dicantur: quædam deniq; quæ ut mutari, nedum tolli, sine justa reprehensione non possint, tamen non tanti sunt momenti, ut propterea vel existimandum sit cœnam ibi nullam celebrari, vel illi sic mutilatæ interesse pii bonâ conscientia non possint.

Hactenus Beza. Præterea multa alia, qui alii hoc argumentū tractârunt fusiùs, & adversarius nullibi fuit certior, quàm in hoc negotio.

10. Deinde respondi in ceremoniis non requiri mandatum Dei. *Quid audio,* inquit ille? *Elleboro digna sententia. Annon enim ceremonia agni paschalis Israëlitis mandabantur? Annon benedictio & distributio nobis mandantur? Anathema sit qui affirmat nullas reperiri ceremonias Novi Testamenti, quæ innitantur mandato divino.* R. Ô edictum, cui adscribi debeat: **B O N U M F A C T U M,** *Tertul. de pudicit.*

Quid audio, inquā ego? indigna Philosopho & Theol. demētia! Annon enim alia ratio est ceremoniarum V. Testamenti? Annon illæ ad jugum pertinebant, quod ferre Judæi non poterant, *Act. 15.* Annon ob tantam ceremoniarum propter certas causas, & ad certum tempus mandatarum varietatem Judæi erant sub pædago? Elenchum committis *μετὰ πάσας εἰς ἄλλο.* Vitiosum est ex uno genere in aliud migrare; *Aristoteles lib. 1. post. cap. 7. text. 19.* Nego autem benedictionem & distributionem esse ceremonias, quia sine illis cæna Dominica celebrari nequit. Imperitè igitur, & incogitanter me anathematizas Philosophæ acutissime, imò non me, sed Augustinum, cujus hæc sunt verba: Totum genus ceremoniarum liberas habet observationes, *lib. 1. de inquisit. Januar. c. 2.* Quid? anathemate feris laudatissimum & invictissimum nostrū Imperatorem Rudolph. I I. cæterosque status imperii, qui ceremonias Ecclesiasticas liberas esse volunt. *Reichsabschiedt Anno 1555. §. Und. damit / & §. damit auch / & §. nach dem.* Quod si liberæ sunt, & in illis Papa vester Schonfel. dispensare potest, quī mandata sint à Domino? Quocirca quid istud est dicti prodigium? in ceremoniis institutionem Christi urgere? Nunc ergo nobis Christum facient isti homines magistrum ceremoniarum, qui ritibus externis instituendis autor à Deo missus

sus

sus fuerit. Quin imò ceremoniæ non erunt
 amplius, quod dicuntur, si expressam Christi
 institutionem habeant, ut oppositum in ad-
 jecto statuere homines isti planè videantur,
 ut utar verbis *Clariss. Theol. Dn. D. Milii in*
volum. disput. Theol. disput. 15. thes. 56. pag. 234.
 So sagen wir nun / daß wir im Sacrament also
 les thun / was Christus mit Worten gebotten hat /
 da er spricht / das thut zu meinem Gedechnuß.
 Was er aber nit verbotten hat / das thun wir frey /
 so ferne es vns gelüstet / vnd sagen / es sey nit zu
 gebieten / noch zu verbieten gleich wie ers weder ge-
 botten / noch verbotten hat. *Luth. contra cœlest.*
Prophetas, pag. 37. E. L. Sed video te nimis ur-
 geri, ideoq; iuvabo te, & dicam vocem cere-
 moniæ accipi laxè & strictè. Laxè sumpta
 nonnunquam usurpatur de omnibus sacris &
 ritibus, atq; aded de Baptismo & Cœna Do-
 minica. Sanè sciendum ἑρμηνεία apud Græcos di-
 ci sacra omnia, sicut apud Latinos ceremoniæ
 dicuntur, inquit *Servius lib. 4. Aneid.* & hoc
 sensu largior ceremonias esse mandatas à
 Deo. Strictè verò sumitur pro ritu ejusmodi
 qui actioni alicui sacrae inservit, facit ad ordi-
 nem Ecclesiasticum, &c. & hoc sensu nego
 mandatum ceremoniarum. Hic enim domi-
 natur Christiana libertas, in qua stare nos ju-
 bet Apostolus, *Gal. 5.* in hac libertate stantes
 Apostoli sortem miserunt super electione
 Matthiæ, *Actor. 1.* fecerunt decretum de sus-

focato & sanguine, *Act.* 15. Paulus circumci-
 dit Timotheum, *Actor.* 16. rasit caput. *Act.*
 10. licet hujus rei mandatum à Deo non ha-
 buerint. Hinc Philippo illi Melanchthoni
 scribenti ad Cardinalem Campegium *Anno*
1530.6. Julii, levem quandam dissensionem
 rituum esse inter Papistas & Lutheranos, re-
 sponsum meminimus; si in doctrina fieri pos-
 sit concordia, de ritibus non usque adedò di-
 micandum esse, Lutherum jam olim statuisse,
 ut diceret, si non una corolla in vertice rasa
 sufficeret, se ejusmodi fenestellas verticales
 gestaturum, modò abesset superstitionis & me-
 riti cultusq; divini commentum. *Vide refut.*
hist. Peuc. pag. 88. Et adhuc audes os impu-
 dens me anathemate ferire? Parce frustraneo
 tuo labori, parce sumptibus Typographicis,
Man muß die Hellenchen zu raht halten/ parce
 tempori, ac bonis horis: Ah vel tardè, vel serò
 incipimus amare tempus, cujus unius hone-
 sta est avaritia, ut ait *Senec. πολυτελέστατον ἀνά-
 λωμα χρόνον. Democrit.*

II. *Tertium meum effugium in eo esse dicit*
Philosophia sceptica: Apostolus refert τὸ hoc
facite ad comestionem & bibitionem. Re-
spondet, sed quid si concedamus hoc, quid absur-
di? Nihil. Benè est. Quid ergo mihi adversa-
riam constituis? cur hoc responsum meum
vocas effugium? Quis de jussit sapientiorum
esse Apostolo? Annon Scriptura per Scriptu-
ram

ram est explicanda: annón eadem est locutio in his duobus: Hoc facite in mei commemo- rationem, *Luc. 22.* & quotiescunq; panem hunc ederitis, &c. mortem Domini annun- ciabitis, *I. Corinth. II.* II. Illud Christus præ- cepit quod discipuli ipsi in Cœna fecerunt. Atqui discipuli ederunt & biberunt. Ergo. III. Conciliet secum disputator *libellum Cassellanum*, qui fractionem refert ad verba circumstantiarum, non mandati. IV. Tran- sigat cum Piscatore, qui eodem prorsus mo- do verba mandati exponit per verba Aposto- li, *I. Corinth. II.* & non ad id quod Christus ipse fecerit, sed præcisè ad edere & bibere re- fert. In hunc sensum, inquit, verba ista expo- nit Apostolus, *I. Corinth. II. v. 26.* Et sanè ipsa verborum consequentia hunc sensum per se gignit, quantum quidem attinet ad verba illa HOC FACITE. Proximè enim præcessit AC- CIPITE, EDITE, &c. *in observat. Evang. super Matth. c. 26. pag. 672.* V. Demus ex hypo- thesi mandatum referri ad omnia anteceden- tia, & sic etiam ad fractionem & distributio- nem: Hoc doce disputator, referri ad fractio- nem Calvinisticam, hoc est, eam quæ habeat *οὐναλογίαν* cum immolatione & crucifixione Christi in cruce, &c. *Disce docendus adhuc que censet amicus, Horat. I. Epistol. 17.* VI. Re- fer ad omnia quæ Christus fecit, quid nobis incommodabis? Nam sic præcisè, ut loquitur
Pisca.

Piscator, vel primariò pertinebit ad solam manducationem & bibitionem, ad reliqua secundariò, quatenus videlicet sine benedictione, fractione & distributione illa esse nequit. *Vide Luth. in Confess. majori, pag. 19. §. 3. & 4. E. L. VII.* Sed quia Neoterici Marpurgeneses antiquitatem crepant, & prædecessores suos tanquam *ὁμοῦ φασ* in panis fragio allegant; & inter hos etiam *Benedictum Aretium*; quid vetat ejus sententiam adscribere, in qua ita noster est, ut magis esse possit: Ita scribit in lectionibus *de Cœna Domini lect. 4. pag. 72. 73. & 74.* His erroribus opponit suam institutionem, à qua non debuerunt recedere. Ac si quæras, cur tantopere urget institutionem illam? parata jam est: *Nam accipi à Domino, quòd tradidi vobis.*

Argumentum sic colligit: in Cœna Dom. solius Christi debet servari formula: sed mea illa institutio vobis relicta, hæc ipsam formulam complectitur: ergò in hac debuistis manere.

Deinde subjicit hanc Domini formulam, in qua duo sunt: nam partim de pane, partim de poculo loquitur. De pane agens, considera primùm quid Christus faciat, *accipit*, deinde *gratias agit*, tertio *frangit*, quæ omnia de more patrio sumpta sunt: nam in agni paschalis esu, senior illa facere solet, *accipit panem adjunctis precibus, benedicit ac distribuit.* Cæterùm quid Christus gratias egit? nimirum pro misericordia

cordia

cordia mortalium generi exhibita quòd redemptionis hostia adesset precibus suis Deo Patri Ecclesiam commendans. *Fractio autem distributioni inserviebat, alii ad mortificationem referunt, cujus quidem hic typus fuit & umbra, revera tamen fractio in Christi corpore non habuit locum, quemadmodum etiam in agno Paschali.* Dicit autem, primùm jubet accipere, deinde edere, tertio ἐκθέσει rem explicat, *hoc meum est corpus.* Observent studiosi τὸ subjectum esse reliqua prædicato annexi μὲν ἐστὶ τὸ σῶμα, hoc est, ἐστὶ τὸ σῶμά μου. Ac rectè explicatur per metonymiam, qua signū ut sacramentum corporis sui dat: Corpus tamen suum appellat, non tamen inane signum est, quia fides non nititur inanibus hinc, & habet verbum Dei annexum. Modum autem si quæras, respondemus spirituales esse, conjunctionem si petas, dicimus sacramentales esse: nec est quòd contentiosè locum hunc divexemus. Quartò finem indicat, *hoc facite in mei commemorationem,* hinc facere quidam accepere pro sacrificare, quasi dicat, hoc sacrificate, hoc est, offerte Deo Patri, quod glossema ineptum est. *Alii ad omnia superiora referunt, hoc facite, quid? quod me vidistis facere: accipite sic & frangite, atq; inter vos distribuite: sed non satis continua est interpretatio: nam in altera Sacramenti parte, quoq; repetit hoc facite, cum tamen ad fractionem non possit referri,*

referri, ideoq; simplicior & verior est sententia ut facite ad suum copulatum referamus. Hoc facite, hoc est, cœnam celebrate in mei cōmemorationem: sententia enim Domini est non in alterius nomine hunc ritum esse repetendum, sed in salvatoris Christi solum nomine nec ad fractionem voluit hic nos ligare. De poculo eodem modo loquitur, explicat poculum, *Novum Testamentum est in meo sanguine*; Aperta est hic Synecdoche, nam poculum pro vino dixit, & vinum symbolum erat sanguinis, ut supra panis corporis. Deinde memoriam sui repetit, *hoc facite*, hoc est, celebrate, *ne ad fractionem restringas, in mei commemorationem*: voluit enim sui memoriam apud nos esse frequentem, ideoq; sacramentum etiam hoc in crebro usu.

12. Intuli, Cœnam etiam in Palatio diversorii celebrandam esse, si mandato, hoc facite, omnia ea facere juberemur, quæ Christus fecit; *Distinguit illic, inter partem & externas circumstantias.* R. I. Non omnia quæ tunc nobis agenda forent, externæ sunt circumstantiæ. *Vide disput. 2. thes. II. & supra thes. 9.* II. Non intelligit homo naturam & definitionem circumstantiæ, dum diversorium, sedere, accumbere, &c. circumstantias appellat. Nam Philosophis circumstantiæ sunt, *Quis, quid, circa quid, quo, cur, ubi, quomodo, quando*; ex quibus sex priores etiam ab Aristot.

Aristotele recensentur, *lib. 3. Ethic. c. 1. Posteriores à Damasc. lib. 2. c. 24.* III. Sicut nec intelligit naturam partis. Nam fractionem partem facit integram, *thes. 7. monit. At 1.* Principium petit, & circulatorum agit. Quæstio est, an fractio panis sit necessaria, responder affirmandò, quia (non externa circumstantia, sed) pars est integralis. Queritur rursum: An fractio sit pars integralis? affirmat, quia est necessaria. *Amphora cœpit institui currente rota cur urceus exit?* II. Integrum vel integrale Logicè non sumitur pro eo cui nulla pars deest, sed pro eo quod quoquo modo partes habet integrantes, ut etiam *μονόγειε* aut *μονόφθαλμο* integrum esse non desinat, docente *Keckerm. lib. 1. System. c. 22. pag. 196.* Itaq; si vel fractio desit, integra tamen Cœna manere potest, id quod est contra adversarium, qui cum *Embd. Angeloc.* (Horum enim operis merces suas interpolavit) blattit, *nos quidem veram, sed non integram habere Cœnam.* III. Partes integrantes partes sunt materiæ, *Gocl. lib. 1. instit. p. 117.* An ergo fractio est materia cœnæ, aut pars materiæ Cœnæ? an accidens potest esse pars rei substantialis? & annón pars & totum sunt in eodem prædicamento? *Vide Keck. l. 1. System. cap. 2.* IV. Integrum oritur ex effectis, *Tempel. cap. 15.* Hoc est, argumento seu loco effectorum, ita ut sit materiatum aut formatum, *Goclen. part.*

part. 2. Problem. Logic. quest. 6. An ergò fractio panis est pars materialis aut formalis? V. Pars integralis non potest prædicari de toto integrali heterogeneo. Quis enim dicat corpus esse oculum, cor, brachium? &c. Atquæ fractio panis potest de Cœna prædicari, fatentibus adversariis. E. VI. Destructa unâ principali parte, totum destruitur, ut huic ædificio deest tectum. E. non est domus. *Goelen. lib. 1. Institut. pag. 121.* tolle cor, aut aliam partem principalem, & totum integrale sustulisti. Si igitur fractionem nos non habemus: Ergo nec veram Cœnam habebimus, quod est contra *scriptorem anilem*. VII. Non dicam jam de dissensionibus Cadmæorum fratrum, dum alius fractionem essentialem, alius integralem facit partem. VIII. Nec attingam quòd *Timplerus*, & alii negent discrimen inter partes essentielles & integrales, à qua opinione non multum abest *Goel. l. 1. Inst. p. 117.* Quid verbis opust? *Logos, quisquilias, floccos loqueris, abi.*

13. Ad responsiones quas dedimus ad instantiam nihil aliud adfert *quam mandatum*. HOC FACITE. At nos ad illud satis multa respondimus thesi 9. ubi disputatorem ex Arcadicis latebris ita extraximus, ut conspici possit, quandoquidem Plato Sophistam nominat *ἄνθρωπος ἡγετον ζῶον*. Audi Sophista & repete quæ supra diximus.

14. Thesi 71. Pergis, inquit, occinere distinguendo inter fractionem ipsam, & modum fractionis. Fractionem concedis necessariam esse, modum ejus negas: Hic tripudias & buccinas inflas ob felix fringillicupium, quam habere te dicis non in cavea, sed in veprecula. Ego verò te habeo in nassa, quia in Theologia piscis es & novus Archigenes, qui non intelligens veritatem rerum de quibus loqueris, ut nihilominus dicere aliquid videaris αινιγματώδεσι λόγοις lectori fucū facis, ut utar verbis Jacobi Schegkii in *Anatome Simonii*, pag. 25.

I. Quam fractionem ego admittam in proclivi est. Quòd eam quæ mystica, Judaica, Calvinistica & significativa est, ad infimum orcum damnem quis non intelligit? II. Discordibus tibiis canis: suprà enim thesi 24. dicis *me rejicere fractionem*, hîc affirmas *me eam admittere ut necessariam*. III. Dicis *in modo fractionis consensum esse inter me & te*. Quid ergo tu Vasaliense Philosophidion nodum in scirpo quæris? quin Christo credis? veritati cedis? litesq; de asini, hoc est, tua umbra movere desistis? Certè his contentionibus magnum honorem non indipisces. Nulla enim gratia est ejus honoris qui celeriter præterit, sed ejus qui plurimum quantum potest, perseverat, *Iren. lib. 2. cap. 6*. In famæ templo non dedicantur improba & petulca monumenta, *Lips. cent. 3. Epistolarum*. IV. Sed his non

F

con-

contentus auguraris *hunc cantum insolens ali-*
quid portendere. Quid? num & asinus inter au-
 gures? Equidem insolentius augurium nun-
 quam audiui. Ecquid enim est augurare, quid
 augurari? Augurare, dicimus, secundum *Pli-*
nium, cum præfagio mentis futura colligi-
 mus. Augurari verò tum, quum futura men-
 tis captamus auguriis, *Serv. Æneid. 7.* Itaque
 tuum hoc non augurium est, sed spinturni-
 cium, quod est diminutivum à spinturnix,
 quæ deformis & inauspicata avis; eademque
 ambustanea, sive incendiaria dicta: quod de
 busto seu rogo aliquid carbonis in tecta de-
 ferebat, & incendium portédebat, *Taubman.*
in milit. glor. Plauti p. 720. ex Scal. Pythæ. ad-
vers. lib. 1. 10. Plin. lib. 10. 13. At quid tandem
 auguraris? *privatum colloquium, panisfragium,*
domum, quid non? Virgilianum est illud: *Ca-*
dit ipse Tolumnius augur primus in adversos te-
lum qui torserat hostes: quid si quis hoc velit
παρωδῆν: *cadit ipse Sophisticus augur nuper in*
Hassiacis panem qui fregerat oris? Scias autem
 me privati tui colloquii non meminisse. Hoc
 dicere me memini, nihil referre si ante Cœ-
 nam fiat præparatio atque comminutio, ut
 postea in Ecclesiis præsertim populosiori-
 bus eò commodius, & compendiosius, adeo-
 que *εὐτάκτως* inter tot communicantes fieri
 possit distributio. Licet enim oblationum in
 Eucharist. *confractio*, ut loquitur Augusti-
 nus,

nus, non fiat publicè, sufficit tamen si facta
 conspiciatur publicè, planè sicut necessum
 nō est ut vinū publicè infundatur, ubi asteri-
 sco noto quòd fractio Christi in Cœna, no-
 stra ante Cœnam, referatur ad meram tem-
 poris circumstantiam, in qua & circa quam
 suā Ecclesia habet libertatē, ut fateris. *iple th.*
59. Huc accedit, quòd Christi panis ex Epulo
 paschali fuit reliquis, qui si in 12. partes fuis-
 set divisus, quis dubitaret satisfuisse Christo
 easdē discipulis tribuere? Adde quod Calvini-
 stæ ipsi eodem ferè modo cum nostratibus
 panem ante Cœnam frangunt & ad distribu-
 tionem præparant. Annon Pistor, & non Pa-
 stor libum unum ab altero separat, præparat,
 imò in medio ferè disgregat, ut postea in Cœ-
 na distributio esse possit commodior? Annon
 numerus tantum diversus est, res una, si in
 nostra Ecclesia apponantur hostiæ 20. in ve-
 stra liba quinque? Quid multa? in corde tuo
 helena non est alia quam Analogia, significa-
 tio atque repræsentatio, quæ tamen spurcius
 Panisfragii finis est, pugnans cum typo agni
 paschalis, *Exod. 12.* historia passionis, *Joh. 19.*
 officio panis sacramentali, discrimine veteris
 & novi Testamenti, cū fundamentis Logicis,
 Rhetoricis, &c. neque sequitur, quod *thes. 79*
 colligis? *Metaphorica locutio est in hoc:*
corpus frangitur. E. Similitudo consistit in pani-
fragio: cum revera consistat in exquisitissimis

F a dolori-

doloribus crurifragii: cuius ratio atq; modus tempore Plauti talis erat, ut incus cū malleo, vel vecte ferreo inferretur, ac tibias incudi apponerent validis ictibus sic frangendas, 7. *Lips. de cruce, lib. 2. cap. 14. Taubman. in Plauti Asinaria, f. 105.*

15. *Thesi 72. 73.* non disputatorem agit, sed convitiatorem & Sophistam, qui tanquam sepiam quædam omnia argutiarum præstigiis conspurcat. Ait enim *Calvinistas non tollere corpus Christi a Cœna, sed ex pane, non negare presentiam, sed modum presentie, &c.* Miserum certè est cum mendacibus & levis hominibus disputare, & in quibus frons nulla sit; sine pudore enim quidvis affirmant & negant, prout ipsis ex usu fuerit, *Scheckius in Anatom. p. 13.* Antequam ergo respondeam placet annotare verba Lutheri ex ultima confessione opposita gregalibus Cinglicis & Oecolampadicis: Ego omnes eos eodem numero habeo, hoc est, pro Sacramentariis & fanaticis agnosco (sunt enim tales) qui credere nolunt, quod panis Domini in sacra Cœna sit *verum ipsius naturale corpus, quod impius quispiam, vel Judas ipse, non minus ore accipiat, quam D. Petrus, & omnes alii Sancti: Qui, inquam, hoc credere recusat, me missum faciat: neq; nullā amicitia aut familiaritatem à me expectet: sic enim stat sententia, quam non sum mutaturus. R. I. Si tollitur corpus Christi*
ex

ex pane, tollitur etiam è Cœna: panis enim & corpus Christi unita sunt sacramentaliter, ita ut accipiamus id in pane, quod pependit in cruce, id in calice, quod effluxit è Christi latere, *Chrysoft. homil. 24. in Epistolam 1. Corinth.* Ubicunque autem unum est ex unitis, ibi alterum etiam esse necesse est, *Georg. Sohn. tom. 1. II.* Itaque committitur Elenchus oppositorum dum sophista panem opponit corpori Christi, & vicissim. III. Nescit Antagonista quid blateret. Suprà enim *thes. 22.* dicta patrum à me *disput. 1. thes. 14.* allegata admittit & probat, quanquam non sine fuce. At illa ipsa corpus Christi nec ex Cœna tollunt, nec ex pane, sed potiùs includunt, non localiter, &c. sed mysticè & sacramentaliter, ut docuimus *Prodom. pag. 21. 22. 23. & seqq.* Nos in specie panis & vini, quam videmus, res invisibiles, id est carnem & sanguinem Christi honoramus, inquit *August. in sent. Prosperi.* IV. Sibi non constat. Nam primò asserit *Christum nondum venisse, ac proinde corporaliter non esse in pane.* Atqui hoc modo nec Christus erit in Cœna, quia nondum venit, scilicet is qui venit per aquam & sanguinem, *1. Johannis 5.* Deinde dicit *corpus Christi praesens esse propter relationē.* At si relatio est inter panem & corpus Christi, quomodo corpus Christi non erit, IN, CUM, & SUB pane, ut patres loqq. VI. Itaq; si tollitur corpus à pane,

sanguis Christi à vino, prorsus è Cœna tollitur. Quando enim mixtus calix & fractus panis percipit verbum DEI, fit Eucharistia corporis & sanguinis Christi, *Iren. lib. 4. cap. 4. VII.* Peccat contra primum officium sapientis, quod est non mentiri de quibus novit, *Aristot. lib. 1. Elench. cap. 2.* Nam Calvinus disertè dicit, & verbis expressis docet, symbola Cœnæ tantùm esse in terra, corpus autem Christi tantùm esse in cœlo, *in fine consensus cum pastoribus Tigurinis*, idemq; scribit *Beza in summa doctrinæ de re Sacrament. quæst. 6. 9. 10. 11. 13. & contra Pappum volum. 3. Theol. tractat. pag. 96.* Christus, inquit *Calvinus*, præsens illis nõ videtur esse, nisi ad nos descendat: quasi verò si ad se nos evehit, non æquè potiamur ejus præsentia, *lib. 4. instit. c. 17. §. 31.* Neque aliter Christum in Cœna statuo præsentem, nisi quia fidelium mentes, sicut illa est cœlestis actio, fide supra mundum evehuntur, *Calvin. in defens. 2. p. 898.* Fides in cœlum usq; subvehitur, ut Christum quàm efficacissimè apprehendat, *Beza part. 3. volum. Theol. pag. 204. & Epistola 5.* Abesse ergo sinamus donec redeat, cum corpore ejus nihil opus habeamus, spiritu omnia rectius gerente, quàm possit ulla caro, *Cinglius in exegesi.* Corpus Christi distat tanto intervallo à Cœna, quanto cœlum à terra, *Beza Epist. pag. (mihi) 52. & part. 3. volum. Theol. & contra Brent. pag.*

pag. 510. ubi noto, ipsum hoc Emblemata etiam
 opposuisse *articul. 10. August. Confess.* adeoq;
 præsentiam corporis Christi non tam ex pa-
 ne, quam ipsa cœna sustulisse. Unde de Au-
 gustana Confessione tale fert iudicium: Fa-
 teor etiam illam nobis in quibusdam non sa-
 tisfacere, atque adeò in nonnullis ac præser-
 tim in capite de Cœna non probari, nisi com-
 moda interpretatione leniatur quod etiam
 eruditissimos quosque facere videmus, *Epi-
 stola 1. pag. 7. & 8. VIII.* Regula est Logico-
 rum: Ex affirmatione & negatione nascitur
 status controversiæ. Quæritur igitur an cor-
 pus Christi verè & substantialiter in vel cum
 pane sit in cœna, ut loquitur *Augustana Con-
 fess. articul. 10*? Affirmamus nos, negant ad-
 versarii, ut patet ex omnibus ipsorum argu-
 mentationibus. Sic enim colligit *Petrus Mar-
 tyr contra Gardin. object. 2.* Si verè Christus est
 in *Eucharistia* contraria sententia non erit
 vera, nimirum pauperes non semper habe-
 bitis. Sic *Calvinus*: Veritas carnis, Christo te-
 ste, probatur aspectu & contactu? *At in Eu-
 charistia* nihil videtur, aut tangitur, nisi pa-
 nis: non igitur ibi caro, sed panis est, *Calvin. lib.
 4. institut. cap. 17. §. 29. &c.* IV. Deniq; de
 modo præsentia controversia esse non po-
 test. Illum enim uno ore veri Lutherani o-
 mnes affirmant esse mysticum, incognitum, à
 speculationibus humanæ rationis remotum,

&c. Et huc pertinent argumenta de captivanda cæca ratione, eademque subigenda in obsequium fidei, ut monet Apostolus, 2. Cor. 10. De presentia relativa & representiva diximus pag. 56. Prodromi. Eò igitur lectorem remissum volumus.

16. Thesi 74. veterem coccysum ingeminat, quia Gratiarum actio & distributio necessariae sunt ceremonia, ideoq; & fractionem necessariam esse quæ media sit & inter utramq; collocetur. Inde ad Lutherum provocat. In reliquis cavillatur. At arctè adhuc tenemus distinctionem inter benedictionem, fractionem, dationem, sumptionem & modum horum, quam distinctionem Antagonista allavit, non refutavit, juxta illud Aristotelis lib. 8. Top. cap. 4. Propositum improbableè defendendum est. II. Hanc autem distinctionem legitimam esse, & adversarii argumentum de ponte dejicere sic doceo ex propria ipsius hypothese: Quandoquidem opportunum est Sophistas suis armis confodere: atque adeò illorum decipulas ac machinas adversus illos nonnunquam adhibere Philosophum decet, Plato in Hippiæ. Probationis illud genus firmum, quod ab adversario sumitur, Tertull. contra Gentiles. Eadem est ratio extremorum quæ est & medii, videlicet fractionis. Atqui extremorum hæc est ratio ut benedictio, datio, &c. sint necessaria, non autem modus

dus benedictionis, &c. E. etiam eadem est me-
 dii, fractionis. III. Qualis enim in institu-
 tione intelligitur gratiarum actio? Equidem
 non vulgata illa, qua circa quævis convivia
 Christus patri suo cœlesti consuevit gratias
 agere, sed planè nova atque singularis. Et-
 enim quam Paulus vocat gratiarum actio-
 nem, *i. Corinth. ii.* eadem vocatur *εὐλογία* sive
 benedictio, *i. Corinth. io.* qua panem hunc sa-
 cramentalem consecravit ac destinavit in
 symbolum atque medium manducationis
 sui corporis. Itaque notatur hic sanèta bene-
 dictio conjuncta cum divina virtute, ut *Matt.*
14. v. 19. Marc. 6. v. 41. Luc. 9. v. 16. Eum enim
 qui ex creatura panis est accepit & gratias
 egit, dicens: Hoc est corpus meum: & calicem
 similiter qui est ex ea creatura quæ est secun-
 dum nos, suum sanguinem confessus est, *Iren.*
lib. 4. cap. 34. Accipiens panem suum corpus
 confitebatur & temperamentum calicis suū
 sanguinem confirmavit, *Iren. lib. 4. cap. 57.*
 Unde quando mixtus calix & fractus panis
 percipit verbum DEI, Eucharistia fit sangui-
 nis & corporis Christi, *Iren. lib. 5. cap. 1.* Quæ-
 ro hic ex acutissimo an pastores Calvinistici
 eodem modo benedicant atq; gratias agant?
 Sic etiam modus dationis indifferens est, *vi-*
de Luther. contra cœlest. Prophet. pag. 36. De
 modo verò sumptionis quid statuendum? a-
 deamus *Theod. Beza*, quem disputator li-

F 5 bentiùs

bentius audit quam Scripturam: Num igitur, inquit ille, *Epistola 2.* Peccare dicemus Ecclesias apud quas non alii aliis Sacramenta tradunt, sed ex ministri vel Diaconi manu sigillatim omnes accipiunt ex diversis etiam poculis bibentes? Minimè profectò, quoniam ipsa sumptio non autem sumendi modus præcisè præscribitur. Ex his colligitur, aut meam distinctionem accommodam, aut hypothesein adversarii (eandem prorsus mediæ & extremorum rationem esse) falsam esse & erroneam, adeoque datam hanc meam responsionem sufficere. Solutio enim recta est manifestatio falsi syllogismi, *Aristoteles lib. 2. Elench. cap. 3.*

17. Responsiones ad rationem tertiam vocat *somnia nulla autoritate Scriptura nitentia.* At si quis nec contra ullam afferre rationem queat, nec aliquid opponere in quo non ita sit & tamen non concedat, is profectò iniquum se præbebit in disputando, ait *Arist. l. 7. Top. c. 3.* Ita argumētatus fuerat adversarius: *Quicquid in Cœna mysticum est, omittendum non est. Fractio panis in Cœna mystica est. E.* Respondi primò ad majorem per reductionem ad absurdum. Commoda enim Sophistarum refellendorum ratio est, illos ad absurdas importunasque consequutiones redigere, unde antecedentium falsitas perspiciatur, *Plato in Hippiâ.* Etenim in cœna mysticus est

est panis azymus, 1. Cor. 5. celebratio ecenæ tempore nocturno, *Chrysoft. homil. 27. in 1. Corinth. II. tom. 4. Cyprian. lib. 2. Epistola 3.* mysticum est vinum rubrum, *Luther. in lib. quod verba firmiter præsent, pag. 20.* vinum aqua dilutum, *vide Bellarmin. lib. 2. de Eucharist. Et l. 4. cap. 9. 10. Gregor. de Valent. t. 4. disput. 6. q. 2. punct. 1.* Denotat enim unionem populorum cum Christo, *Cyprian. lib. 2. Epistol. 3.* sobrietatem & temperantiam, *Proverb. 9.* unionem duarum naturarum in Christo, quam quia olim non credebant Armeni, ideoque vinum aqua miscere nolebant, *Niceph. lib. 8. c. 53. Bella. l. 4. de Euch. c. 10.* Choræbo stultior sit necesse est, qui non videat ex absurda hac majori absurda sequi infinita. Vidit hoc ipsum Clarissimus Libav. ideoque Dn. Gocl. hic non benè distributam habere rationem affirmavit in *Gymnas. Scholast. thes. 28. pag. 55.* Si enim conclusio est falsa, oportet aliquam præmissarum esse falsam. *Aristoteles lib. 2. post. c. 20.* Assumptionem ut Papisticam meritò risimus: Adversariorum enim seria in certaminibus oportet risu prævertere, & risum seriis, *Aristoteles l. 3. Rhet. c. 18.* Hæ responsiones quomoda somnia sint, non intelligo. Sed sophisticè agere volentes, orationū mentientium genus quærere oportet, *Aristot. lib. 1. Elench. c. 2.* cum tamen veri Philosophi nota sit amare veritatem, mendacium verò sum-

mo odio prosequi, *Plato libro 6. de Republica.*

18. Audiamus nunc quid afferat contra responsiones datas ad ratiunculam quartam: Responsio prima hæc est: *Sed hæc vel magna cæcitas est, vel malitiosa improbitas.* Secunda: *Eriabile tuum est effugium.* Tertia: *Tertium tuum, quartum, quintum effugium nulla sunt.* Auditum admissi risum teneatis amici. Eja discite Philosophiæ studiosi ab hoc acutissimo methodum disputandi, imitamini Laco- nas, qui cum aliquem valdè admirabantur, divinus, dicebant, vir est, teste *Aristotele l. 7. Ethic. Nicom. c. 1.* Verum enimverò aliam respon- sionem meditatur: *Finem Cœnæ esse dicit mortis commemorationem, quam mortem re- præsentet fractio panis.* Respondeo I. Petere principium est non demonstrare proposi- tum, *Arist. l. 2. priorum Analyt. c. 18.* & circu- laris syllogismus species est petitionis prin- cipii, *Averr. in princip. 2. c. 5.* II. Aliud est mortis commemoratio, aliud mortis adum- bratio sive repræsentatio; illam agnoscimus esse finem Cœnæ, (quanquam non adæqua- tum) & præceptum à Christo, *Matth. 26. 1. Corinth. 11.* Illud corpus Christi & sanguinem dicimus, quod ex fructibus terræ acceptum & prece mystica consecratum ritè sumimus ad salutem spiritualem, *in memoriã pro nobis Dominica passionis, August. l. 3. de Trinitat. cap. 4.*

cap. 4. De hac verò scriptum nihil invenimus. Quod autem scriptum non est, non est sentiendum *Chrysof. homil. de Spirit. S. adorando*, & quod maximæ partis sententiis repugnat, & sapientibus non probatur, admitti non solet, *Aristot. lib. 1. Topic. cap. 8. III.* Si representatio illa locum haberet, agnus paschalis abrogandus non fuisset, quippe qui longè clariùs mortem Christi representavit quam panifragium: *vide Luther. in Conf. Majori pag. 71. & Prodrom. nostrum, parte 1. p. 7.*

IV. Quæ illa esse potest representatio & analogia, quæ de uno affirmatur de altero negatur? Nam non quemadmodum panis frangitur, id est, in partes comminuitur, ita etiam corpus Christi fractum est, *Exod. 12. v. 46. Johau. 19. v. 33. 36. vide disput. 2. thes. 14.* Cujus igitur rei tandem panifragium signum erit? Edissere hoc nobis ô majorum gentium Philosophe! Nullum enim perfectè signum noscitur, nisi cujus rei signum sit cognoscatur, *August. l. 10. de Trin. c. 1.* Quod si docueris, alius labor erit demonstrare signum illud esse in panifragio. Nam quia multis modis aliquid alicui simile esse potest, non constant talia signa inter homines nisi consensus accedat, *August. lib. 2. de doctr. Christiana, cap. 24.*

IV. Representatio hæc circa puteum Papiasticum chorum agit. Stabilis enim maximam partem senicum, histrionicum, theatricum,

&

& missaticum Pontificiorum lusum, ut patet
 ex thesibus Apologeticis. V. Sicut nihil sus-
 cipit seipsum, ut ait *Averroës lib. 3. de Anima*,
 ita nihil repræsentat seipsum. Signa enim
 sunt res quæ ad significandum aliquid adhi-
 bentur, *August. tom. 3. lib. 1. de doct. Christ. c.*
1. faciunt aliquid aliud ex se in cogitationem
venire, August. lib. 2. de doct. Christian. c. 1.
 Hinc sæpè fit, ut aliud sit in signo, aliud insi-
 gnato, *Scal. l. 3. de caus. LL. c. 1. Et lib. 3. c. 75.*
 Atqui fractio panis est ipsa fractio corporis
 Christi, & crucifixio. Dann wie das Brot ist
 der Leib Christi / so ist auch das brechen des Brots
 das Leiden vnd Sterben Christi / inquit *Ana-*
tom. Marpurg. pag. 11. ex qua hic disputator
 aliquot integras paginas descripsit, cum ta-
 men nihil sit stultius quam aliquem in eo sibi
 placere, quod non fecit, *Lips. lib. 2. manud dis-*
sert. 20. ex Seneca. Arrogantis sit de se multa
 dicere ac polliceri, & aliena sua esse prædica-
 re, *Aristot. l. 2. Rhetor. cap. 9.* VI. Non potest
 eadem ratio esse commemorationis mortis,
 & repræsentationis mortis. Nam comme-
 moratio mortis non pertinet ad panifra-
 gium, sed ad manducationem & bibitionem.
 I. *Cor. 11. quod agnoscit etiam Piscator in Com-*
ment. sup. 26. c. Matt. Quid est proprium edentium
panem Et bibentium poculum Dei? memoriam
servare perpetuam ejus qui pro nobis mortuus
est & resurrexit, Basil. tom. 3. Sum. moral. cap. 22.
 Summa

Sum. 80. Participatio mysterii vera quædam cōfessio & commemoratio est quod propter nos & pro nobis Dominus & mortuus sit & revixerit, *Cyrill. tom. 1. in Johān. lib. 12. c. 58.*

VII. Quæso quid opus est commemoratione & repræsentatione per panis comminutionem? annon illa commodius fit per recitationem verborum institutionis? aut per commonefactionem quam Ecclesiæ minister habet ad populum? Sed Calvinistæ delectantur puerilibus ludicris, hoc est, gesticulationibus Missaticis. VIII. Si syllogisticè antagonista repræsentationem istam probare vellet, sic progrediendum esset: Quicquid repræsentat mortem Christi, in Cœna est adhibendum. At fractio panis hoc facit. E. sic autem propositio erit falsissima, ut suprà ostensum. *Vide etiam Dn. Libav. in Gymnas. Schol. pag. 75. thes. 31.* IX. Quò quid magis rem adumbrat, id eò magis est adhibendum, ex *hypothes. adversarii, thes. 87.* At quid magis mortem Christi, & totam adeò passionis historiam repræsentat & in memoriam revocat, quàm historia accuratissimè in pariete depicta? Agnoscit hoc ipse *Theod. Beza*, & ut oculis quasi subjiciat historiam Cœnæ, ad pictores recurrit, *Epistola 2. pag. 24. & Epist. 81.* nescit quibus laudibus evehat picturas illas, per quas olim Papa in aliquam multis templis fuit irrisus. Cur igitur vos viri Calvini
niani

niani, pictas ejusmodi historias inducitis, una
 atra litura deletis? qui fit, quod idem vester
Beza tanquam inimicus crucis Christi, *ex*
animo detestatur imaginem Christi crucifixi,
Colloq. Mombelgard. fol. 418. Hæc omnia re-
 cordari nos facit salutare crucis lignum, &
 suadet, ut cogitemus quod sicut dicit divinus
 Paulus unus pro omnibus mortuus est, ut vi-
 ventibus non ultra sibi vivant, sed ei, qui pro
 ipsis mortuus est & resurrexit, *Aug. tom. 3. lib.*
6. contra Julian. fol. 49. Ergo crucem quære,
 crucem gere, Christi crucem intuere, ut a-
 more langueas. *Bonavent. Plura responsa sunt,*
Prodr. part. 2.

19. Thesi 77. iterum habent studiosi Phi-
 losophiæ quod ex methodo disputandi acu-
 tissimi Philosophi discant, nempe exclamare:
Heu scurrilitatem! Quando tandem linguam
tuam malignam frenabis? Evigilabit aliquando
justus vindex tuorum flagitiorum, &c. R. I.
 Quid dicam? quid faciam? homo! loqueris la-
 pides: non intelligo te. Heus! Concessum est
 respondententi si minus intelligat, dicere;
 non intelligo, *Aristoteles lib. 7. Top. c. 3. II.* In-
 nocentiam autem præstare possum, quid ho-
 mines de me loquantur, non possum, *Erasm.*
in Epistolis, Qualis sim in me situm est: qualis
audiam in vano isto vulgo. 7. Lips. Epist. Cent. I.
 77. III. Verùm ut culicem molestè circum-
 strepentem levi manu & sine ira dispellimus:
 idem

idem liceat & deceat in istis qui innoxiam
 nostram quietem turbant, *Lips. in disputatione.*
not. Tacit. Dico itaque blennum hunc curio-
 nem & aculeonem verba mea mutilare, &
 mutilata recitare. Quando enim sic loquor:
Si divisionis & comminutionis Cingliana ana-
logia est, sequitur communicantes non tantum
corpus, sed & animam Christi accipere & edere,
aut alteri fracti panis particulis animam, vel
partem animæ, alteri corpus Christi vel par-
tem corporis Christi significari. Blasphemia in
nullo toleranda trivio; ille verba hæc mea sic
recitat: Tum communicantium alter accipiet
animam, alter corpus. Atat adversariorum &
 sententiæ & rationes bona fide referendæ
 sunt, nec κακῶς ῥητέον ἐν λόγῳ, *Plato in Sophi-*
sta sive de Ente. IV. Quocirca quod ego di-
 xeram secundum quid: ille ut simpliciter di-
 ctum accipit! ô candorem! ô simplex pecus!
 V. Quæ hæc est nequitia illi adscribere ab-
 absurditatem, qui ex aliena eam deducit &
 colligit hypothesi? Si ex Emblemate Bezæ;
 corpus CHRISTI, tanto intervallo abest à
 cœna, quanto cœlum ab infima terra; colli-
 gam hanc absurditatem: Ergo in cœna erunt
 nuda symbola; num ea mihi adscribenda fue-
 rit? Non ita: agnosco enim falsum esse antec-
 dens. Cum autem falsum est quod consequi-
 tur, necesse est ut falsum sit quod præcedit,
Aug. l. 2. de doct. Christ. cap. 32. ô conscientiam!

nimirum corrupta autoritate doctrinæ nullus aut cursus aut recursus esse ad castitatem animi potest, *Aug. in l. de mend. ad consens. c. 18.* Deniq; cum in fine hujus thesios Apologeticus monitorem, atrum an album? agat, monendus est etiam mihi. Nam admonitionum & reprehensionum maximus est, & necessarius usus, hæcque una est purgationum præstantissima, *Plato in Sophist.* Quare tu ex Arcadia disputator, te contineto intra Scripturæ metas. Nam titubat fides, si divinarum Scripturarum autoritas, *Aug. l. 1. de doct. Christian. c. 37.* Sufficiant contra prurientis tui ingenioli nubes & nebulas duo ista verba: *Dominus dixit. Cede Scripturæ sanctæ, quæ nescit falli, fallere: hominum est labi, hallucinari, falli, fallere, decipi, decipere, Aug. l. 1. de pecc. merit. c. 22.* Scripturam per Scripturam explica: Hoc enim est tutissimum, *Aug. l. 3. de doct. Christ. c. 26.* & deniq; ab horrendis illis convitiis abstine. Testis cum teste, res cum re, causa cū causa, ratio cum ratione conferenda est, Aug. l. 3. contra Maxim. Arian. Episcop. c. 14.

20. Ad thesin 78. Respondeo I. In ea responsionem nostram datam non everti. Agnoscit enim Philosophus acutissimus, ad cujus pedes etiam autoschediasmata scepticè disputantur, *masse unitatem esse impossibilem.* II. Sibi contradicit: Dicit enim *unitatem masse esse impossibilem, & tamen quantum sit possibilis*

bilis esse necessariam. At impossibile est idem simul esse & non esse, & de quolibet est affirmatio aut negatio vera, *Arist. l. 4. Metaph. c. 3.* Contraria enim simul eidem inesse non contingit, quia unum contrarium est negatio alterius, *Arist. d. l. 4. Metaph. c. 5. text. 27.* & quod necessarium est, aliter se habere non potest, *Arist. ibid. text. 25.* III. Dicit unitatem massæ fortiùs significare unitatem fidei. At & nostræ Ecclesiæ unitatem habent massæ. Nam unum dicitur trib. modis, numero, specie & genere, *Averr. 6. Top. c. 2.* Ea numero unum sunt, quorum materia una est; specie, quorum una ratio, Genere, quorum eadem est prædictiones figura, *Arist. l. 5. Metaph. c. 6. text. 11.* Unde quæ specie vel genere eadem sunt, non necesse est numero eadem esse, *Arist. l. 7. Top. cap. 1.* Licet autem unitas numeri omnium sit fortissima, *Arist. l. 1. Top. c. 6.* idem item propriissimè dicatur de eo quod numero est idem, *Arist. l. 7. Top. c. 1.* reliquas deniq; unitates includat, *Zab. de individ. constitut. c. 6.* unus tamen est panis noster officio sacramentali & specie; quam unitatem nostra fractio non tollit, sed potiùs Calvinistica, quæ signum est multiplicationis, non unitatis, illamq; unitatem suprâ *thes. 65.* falsus est acutissimus consistere non in panis isthac comminutione, sed in usu, in distributione, in manducatione. IV. Quid quod Piscator non diffitetur utrobiqu; esse u-

num panem specie. Quod si igitur unitas & apud Lutheranos & Calvinianos eadem est, quæ potest in altera fortior esse significatio? V. Si id in Cœna adhibendum quod fortius aliquid repræsentat, cur non subscribitis impietati *Petri Vireti*, qui scribere non erubuit, *Christum crucifixum magis representari per vaccam rubram, quam per imaginem pictam, aut sculptam.* Quidni eadem impietate ex fabulis *Æsopi* mysterium quæritur in asino, qui non tantum in tergo gestat nigram crucem, sed in quo etiam *Christus* sedisse dicitur, de quo item scriptum quod fuerit solutus, *Matth. 21.* eodem fortè sensu quo dixit *Christus: Solvite hoc templum, Job. 2.* qui locus ad probandam analogiam ab adversariis ridiculè traducitur? VI. Qui de re aliqua, vel ipsi secum vel alii cum aliis discrepant, non possunt esse illius sinceri germaniq; præceptores, cū una sit & semper sibi consentiens veritas. *Plato in Alcibiade.* Audiatur igitur disputator acutissimus suum oraculum; quem virum? nō unum ex multis, *Theodorum Bezam* (dixi omnia) sic pro nobis respondentem: Quod si quis objiciat alterum sacramenti usum quo fit videlicet, ut mutuam conjunctionem sic quoq; testemur: respondeamus non esse quidem negligendam, at non tamen, ad eò præcisè urgendam analogiam panis ex multis granis, & vini ex multis acinis confecti: Sed ad il-
lam

iam mutuam conjunctionem *sufficere, si iisdē in genere symbolis, nempe cibo & potu utamur, eandemq; fidem testificemur, Epist. 25. p. 155. VII.* Et deniq; qualis erit unitas panis nostri & Americanorum? numerinē an speciei vel generis? Videat aduersarius, an à baculo Logico satis possit esse tutus? Hæc de unitate panis prolixius quam voluimus: quanquam non est prolixitas de rebus utilibus & necessariis copiosè disputare: est prolixitas τὸ πλεονέχον μῆν, Plato in Philebo.

20. In thesi 79. simplici affirmatione & negatione utitur, quod Calvinistarum propriū est. 1. Dicit dicta Patrum & Lutheri agere de Calvinistico panis fragio. Hoc si probaverit in Olympia stabit aureus. 2. Sarta tecta q; stare, &c. Hoc qui credit delirus est 3. bona fide ex vetustissimis codicibus esse desumpta. Hic peto lectorem candidum, ut disput. nostram 2. saltem per transennam inspiciat. Næ in ea deprehendet aduersarium non tam à libris & capitibus, quàm autoribus aberrasse, dicta mutilasse in alienum sensum contorsisse, vide disp. 2. th. II. 14. 15. & p. 23. 24. Prodr. atq; si sciam me disputatori acutissimo rem gratam facturum, paratus ero ostendere ultra 30. falsas & mutilatas allegationes. 4. Judicium, inquit, & censuram bonorum subire non subterfugiunt. Satis audacter! nimis gloriosè! Thraſonicè! Ut culeus qui vento inflatus agrè mergitur, su-

pereminet autem & exilit sua sponte: Sic tumidi & perversi facillimè attolluntur. *Lips. de constant. l. 1. cap. 4. 5. Inprimis Libavii tui, quem panici terroris causa nominasti, machinationes non curant.* Id verò eventus dedit, & dabit porro. Nam ad scriptum doctissimum de Norma & normato *Clariss. Libav.* tanto temporis decursu nihil responsum est. Quod responsum fortè secuturum est Gymnasium de Analogia & fractione, Dn. Libavius intrepidè & avido animo expectat. Nullus enim reprehensor formidandus est amatori veritatis, Aug. l. 4. de doct. Christ. c. 21. Convincendæ hominum arrogantium ἀνθασειᾶ hujusmodi ἔλεγχος est instituendus, ut cum clarissimis illis contendamus, quò ita excutiatur ipsorum veterum, *Plato in Alcibiade.*

21. Thesis ultima sonat de nare canina. Sarcastica enim est, & plena literæ crudæ, qualis est litera R. *Scal. ex. 266.* Irritata canis quod R. R. quàm plurima dicat, *Lucilius. Ad argumenta immodestia, dicteriorum, calumniarum, &c.* aures circumfero oclusas. Sicut enim canibus quibusdam insitum est sine causa aut discrimine latrare: Sic homini inquieto unum studium litigare, *Lips. in lib. de una relig.* Sed ille magnus est & nobilis, qui more magnæ feræ, latratus canum securus exaudit, *Senec. Lips. in monit. polit. c. 17.* Si apud Deum deposueris injuriam, ultor est: si damnum, restitu-

ror est: si dolorem, medicus est: si mortem, resuscitator est *Tertull. in lib. de patient.* Ad *Dn. Gocl. non malè de me meritum*, (videlicet quod sedulo mihi quondam auditori Calvinismum instillare fuit conatus) adfero illud *Sexti*: Ne exprobres amico tuo beneficia: alioquin. n. eris tanquam nō dederis: itemq; illud *Philosophorū aquilæ*: Beneficia ab alio suscipere, & sæpius quæ tu benefeceris, exprobrare; pusillanimitatis dejectionisq; signa sunt, *Arist. l. 2. Rh. c. 6.* Nemo. n. (fanus) beneficia in Calend. scribit, *Sen. l. 1. de benef. c. 2.* Commemoratio beneficiorum habet quandam exprobationem, inquit *Aristoteles libro 4. Ethic. cap. 3.* ob quam causam *Thetis* apud *Homerum lib. 1. Iliad.* non recenset *Jovi* beneficia, sed petit ab eo beneficium, & prætereundo sua commemorat. Hinc & *Lacedæmonii* cum auxilia peterent contra *Thebanos* non commemorant ea beneficia, quæ dederant, sed quibus fuerant affecti. Pro dicto *Demosthenis* repono *Platonem*, ingratum discipulum mulum vocantem. Ad *juramentum magistræ* le fusè responsum est in *prefatione Prodromi*. Nihil nunc restat, quam ut finem huic disputationi imponamus, & adversario, quantumvis nobis infensissimo, meliorem mentem à **C H R I S T O** precemur, ut anima lucrifiat. Pravitas enim & impietas hominis odio utique habenda; at persona huma-

næ

næ nobiscum confors vitæ, diligenda est, ut
quod in ipso odimus peccatum & vitium
arguamus, & vicissim amemus, quod dile-
ctionem meretur, ut homo conservetur,


*Augustinus contra Adimantium Ma-
nichei discipulum, ca-
pite 17.*


F I N I S.




Judeus
Schediasmatum

105 a









Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.



SPARI
INCKII,

ES ET PHYSICES
strissima Giessena Pro-
fessoris ordinarii,

TATIONES AN-
LENIANÆ, DE ANA-
cramentali Cingliana & fra-
one panis Calvinistica,
Æ ET RECOGNITÆ.



SSÆ HASSORUM,
olai Hampelii, Schola Typogr.

M DC VII